~~Trabang de [illegible]~~
~~Conegrados~~



Da mihi uirtutem contra hostes tuos

DE PARTV VIRGINIS DEIPARAE

aduersùs Iudæos.

LIBRI TRES.

Auctore
FR. PETRO PICHIO
de Treuio, Ord. Præd. sacræ Theologiæ Magistro, & in alma Vrbe ad Hebræos Concionatore.

ROMÆ, Apud Stephanum Paulinum.

SVPERIORVM PERMISSV.



FACVLTAS IMPRIMENDI.

VIsis infrascriptis attestationibus, datur licentia, quantùm ad nos attinet, vt typis demandetur. Romæ die 14. Maij 1621.

Fr. Seraphinus Siccus Mag. Generalis Ord. Præd.

IVssu Reuerendiss. Patris nostri Fratris Seraphini Sicci Papiensis totius Ord. Præd. Generalis Magistri vidi de Partu Virginis Deiparæ aduersus Iudæos libros tres ab admodùm Reuerendo Patre Mag. Fr. Petro Piebio de Treuio eiusdem Ord. ac in alma Vrbe ad Hebræos Concionatore editos. In quibus nihil deprehendi, quod catholicæ fidei, sanæ doctrinæ, bonisque moribus aduersetur, vel quod famam Principum lædat: sed quàmplurima præclara atque magnifica ex sacris literis, Rabbinorumque libris diligenter excerpta, ac doctè exposita; quæ non solum authoris eximiam linguæ sanctæ peritiam insignem sacræ scripturæ & Iudaicæ doctrinæ intelligentiam ac egregiam eruditionem cum singulari ingenij acumine coniunctam redoleant, sed etiam ad ineffabile virginei partus mysterium Iudæis suadendum, eorumque indurata corda emollienda, atque à sua perfidia ad veram fidem pertrahenda valdè conducant. Quamobrem eruditum hoc opusculum in communem vtilitatem typis excudendum fore censeo; vt ex eius lectione & Iudæorum nugas, technas, atque versutias omnes intelligant, & efficacissima argumenta ad ipsos arguendos, penitusque conuincendos

S 2 docti

docti viri pra manibus habeant. In *quorum fidem prasentibus subscripsi.* Romæ in Conuentu *sanctæ Mariæ super Mineruam die* 1. Maij 1621.

Fr. Petrus Ioan: Saragosa de Heredia Magister.

EGo *Octauius Caldorus* Romanus *Philosophiæ ac sacræ* Theologiæ *doctor, & linguæ sanctæ publicus professor in* Romano *gymnasio, de mandato* Reuerendissimi Patris Mag. *sacri* Palatij *Apostolici vidi, & diligenter perlegi opus Admodùm Reueren. & eximij* P. *F. Petri de* Treuio Ord. *Præd. & Hebræorum* Concionatoris *dignissimi, inscriptum de partu virginis deiparæ aduersus* Iudaos: *nihil que in eo contra bonos mores, vel fidem catholicam inueni, immò omnia doctè satis, & bene explicata censeo, dignaque existimo, vt typis mandentur, atque omnibus tamquàm selectissima, & vtilissima innotescant. In quorum fidem manu propria me subscripsi.*

Ego Octauius Caldorus qui supra manu propria.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. S. P. A. P. Episc. de Curte Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. *Gregorius* Donatus *sacr. Theol. Magister, ac Socius* Reuerendiss. P. Fr. *Hyacinthi* Petronij Sac. *Pal. Apost.* Magistri, *Ord. Præd.*

ILLV-

ILLVSTRISS. ET REVERENDISSIMO D.

D. SCIPIONI COBELLVTIO

CARDINALI S. SVSANNAE.

Bibliothecario Apoſtolico.

FR. PETRVS PICHIVS DE TREVIO F.

PERTINAX, & non ſine verborum tumultu à veritate diſſidens Hebræorum turba, cùm ſanctiſſimæ Virginis partum in ſacris literis manifeſtè præcognitum intelligeret, vt illi innata prauitas eſt, & tenax mali propoſiti conſilium, inſidiari, animos in pugnam excitare, in Virginem iras acuere, feroxque (vt ita dicam) bellicum ſpirare cœpit. Vndè cùm ex illa militum gregariorum fæce in nos plerique inſurgentes iniurioſi quotidie clamorem efferrent, & quaſi (proh nefas) de Virgine triumphaturi omnes omnem ſacræ do-

ctrinæ

docti viri præ manibus habeant. In quorum fidem præsentibus subscripsi. Romæ in Conuentu *sanctæ Mariæ super Mineruam die 1.* Maij *1621.*

Fr. Petrus Ioan: Saragosa de Heredia Magister.

EGo *Octauius* Caldorus *Romanus* Philosophiæ *ac sacræ* Theologiæ *doctor, & linguæ sanctæ publicus professor in* Romano *gymnasio, de mandato* Reuerendissimi Patris Mag. *sacri* Palatij *Apostolici vidi, & diligenter perlegi opus Admodùm Reueren. & eximij* P. F. *Petri de* Treuio Ord. *Præd. & Hebræorum* Concionatoris *dignissimi, inscriptum de partu virginis deiparæ aduersus* Iudæos *: nihil que in eo contra bonos mores, vel fidem catholiicam inueni, immò omnia doctè satis, & bene explicata censeo, dignaque existimo, vt typis mandentur, atque omnibus tamquàm selectissima, & vtilissima innotescant. Inquorum fidem manu propria me subscripsi.*

Ego Octauius Caldorus qui supra manu propria.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. S. P. A.
P. Episc. de Curte Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Gregorius *Donatus sacr. Theol.* Magister, *ac Socius* Reuerendiss. P. Fr. *Hyacinthi* Petronij *Sac. Pal. Apost.* Magistri, *Ord. Præd.*

ILLV-

ILLVSTRISS. ET REVERENDISSIMO D.

D. SCIPIONI COBELLVTIO

CARDINALI S. SVSANNAE.

Bibliothecario Apostolico.

FR. PETRVS PICHIVS DE TREVIO F.

PERTINAX, & non sine verborum tumultu à veritate dissidens Hebræorum turba, cùm sanctissimæ Virginis partum in sacris literis manifestè præcognitum intelligeret, vt illi innata prauitas est, & tenax mali propositi consilium, insidiari, animos in pugnam excitare, in Virginem iras acuere, feroxque (vt ita dicam) bellicum spirare cœpit. Vndè cùm ex illa militum gregariorum fæce in nos plerique insurgentes iniuriosi quotidie clamorem efferrent, & quasi (proh nefas) de Virgine triumphaturi omnes omnem sacræ do-

ctrinæ

ctrinæ campũ technis inuoluere contenderent: ego qui multis ab hinc annis eorum iactantiæ frænandæ, & detegendæ fraudi, viribus licet impar, præpositus sum, atque è sacro suggestu in illos veritatis spicula intendo, cum ab ijs in dies mearum virium conatum improbè delusum agnoscerem, rem statui acrius tentandam, manusque propius conferendas decreui. Multos quippe in illos Patriarcharum comparaui gladios, plurimasque in eosdem tetendi Prophetarum sagittas. Verùm quia res bellicas Romani omnium sapientissimi administrari nisi auspicatò noluerunt, tuo Illustriss. Princeps, ductu,tuisq. auspiciis, non superstitiose vt illi, sed religiose hanc pugnã subeundã constitui, vt animo,quẽ ego præsto,tu virtutẽ commodes; & copias,quas ego duco,tu dirigas. Sagatum Scipionem Vrbis liberatorem Roma iam vidit: Togatum Scipionem pacis amatorem Romana Ecclesia nunc obseruat. Ille contra Pœnos victor: tu contra pœnis addictas animas triumphator. Sentiant isti Hannibales tuas vires; concidantque pugnaces Virginis & fidei hostes te acerrimo Virginis & fidei propugnatore. Tuoque capiti, non vt aliorum fronti, vulgaris & caduca victoriæ laurea debeatur: sed, cùm apud ve-

terem

terem aſtrorum ſcriptorem legerim, inter æternas ſyderum faces, Canem (tuum ſtemma gentilitium) ſtella in capite præter cęteras eluceſcere; ita & tuum caput (cum tu pręter alios virtute & religione niteas) ſtellato ſublimioris diadematis ſplendore digniſſimè refulgeat. Et, ſi Canis ille in cælo (vt inquit Hyginus) à ſuæ flammæ candore, Sirij nomen adeptus eſt; tuus in terris, vt ego interpretor, à pertinacia Syriaci populi per te deuicta, Syrij quoque appellationem mereatur. Sic ille latret hoſtibus iratus, ſic tu imperes placidus tuis. Vale. Romæ. ex Coenobio ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam x. Kal. Nouembris 1621.

Ad Lectores.

CVM plurimi ex Hebræis doctrinæ rudes ac inertes latinæ elegantiæ puritatem non teneant, vernaculæ verò linguæ facilitatem conatu non difficili assequantur, vernaculo potius quàm latino cõscripta sermone hæc in Hebræos, hoc est, in verum vulgus dedissem. sed eorum prauitas ab hoc instituto animum reuocauit, quæ sanæ doctrinæ nescia, cùm de certa fide agitur, vt latina ignorat, ita vernacula negligit: & sic meo deceptus labore, & in silentij tenebris his omnibus inuolutis, quæ in Hebræos emisissem, minimè in lucem edidissem. Saniori igitur ex sententia nunc in vulgus hæc prodeant Latiali scripta sermone; & saltem Christi fideles summæ doctrinæ studiosi hinc aduersus Hebræos argumenta, hoc est arma veritatis tamquàm in sacro certamine decertaturi, sumant ac dirigant. Qui dura stant inconcussi ceruice, argumentorumque acies cartis impressas non horrent, viua fidelium ore prolata fulmina grauiter sentiant; & discant cadere, qui timere non didicerunt. Forsan veritatis fulgore perterriti, imò diuinitatis luce afflati, errorum castra deserent, & dabunt manus & nomina Christianæ militiæ ac religioni; fideliumque ope in gloriæ campo feliciter decorati, qui militare nescierunt, triumphare noscent.

F. PE-

F. PETRI PICHI
DE TREVIO OR. PRAED.
DE PARTV VIRGINIS DEIPARAE.
LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.
Dignitas ac neceſſitas virginei partus oſtenditur.

INTER omnes Chriſtianæ religionis cum Hebræis cõtrouerſias, ea, à qua magis ipſi abhorrent, eſt de virginei partus altiſſimo myſterio: hoc enim non ſolum factum inficiantur, ſed fieri nullo modo poſſe affirmant. Quare cum grauiſſimum ſit negocium, ac præcipuum noſtræ fidei fundamentum, ſicut conſtanter illud fate-

Ad Lectores.

CVM plurimi ex Hebræis doctrinæ rudes ac inertes latinæ elegantiæ puritatem non teneant, vernaculæ verò linguæ facilitatem conatu non difficili assequantur, vernaculo potius quàm latino cõscripta sermone hæc in Hebræos, hoc est, in verum vulgus dedissem. sed eorum prauitas ab hoc instituto animum reuocauit, quæ sanæ doctrinæ nescia, cùm de certa fide agitur, vt latina ignorat, ita vernacula negligit: & sic meo deceptus labore, & in silentij tenebris his omnibus inuolutis, quæ in Hebræos emisissem, minimè in lucem edidissem. Saniori igitur ex sententia nunc in vulgus hæc prodeant Latiali scripta sermone; & saltem Christi fideles summæ doctrinæ studiosi hinc aduersus Hebræos argumenta, hoc est arma veritatis tamquàm in sacro certamine decertaturi, sumant ac dirigant. Qui dura stant inconcussi ceruice, argumentorumque acies cartis impressas non horrent, viua fidelium ore prolata fulmina grauiter sentiant; & discant cadere, qui timere non didicerunt. Forsan veritatis fulgore perterriti, imò diuinitatis luce afflati, errorum castra deserent, & dabunt manus & nomina Christianæ militiæ ac religioni; fideliumque ope in gloriæ campo feliciter decorati, qui militare nescierunt, triumphare noscent.

F. PE-

F. PETRI PICHI DE TREVIO OR. PRAED.

DE PARTV VIRGINIS DEIPARAE.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Dignitas ac necessitas virginei partus ostenditur.

INTER omnes Christianæ religionis cum Hebræis cõtrouersias, ea, à qua magis ipsi abhorrent, est de virginei partus altissimo mysterio: hoc enim non solum factum inficiantur, sed fieri nullo modo posse affirmant. Quare cum grauissimum, sit negocium, ac præcipuum nostræ fidei fundamentum, sicut constanter illud fate-

mur, ita ea qua decet efficacia defendere ab hostium calumnijs tenemur: praesertim cum multae hinc praecipiantur vtilitates, quae sunt aliorum mysteriorum dilucidationes. Primùm ex hoc sequitur Christi diuinitas clarè ostensa, hoc est, Christum verum Deum futurum fuisse: deinde ipsius salutem, quam hominibus attulit, non carnalem, qualem Iudaei expectant, transitoriam corporum felicitatem, sed spiritualem animorum, quam suo tempore consequetur corporum immortalitas gloriosa. Postea dignitas Messiae seu Christi colligitur, qui Deus & homo existens ad humanam salutem operandam venturus erat, qui & venit.

Atqui ipsum futurum fuisse Deum, non obscurè ostenditur. Si enim purus homo esse debuisset, quid necesse fuit, ipsum ex virgine nasci? cur naturae ordinem peruertit? non ne ex corrupta muliere, sicut & caeteri homines, immò sicut & caeteri sancti nati sunt, progigni poterat? Sed quia Deus esse debebat, eum de virgine nasci oportuit. Si nam communi aliorum hominum ordine nasceretur, peccati originalis macula inquinaretur, cum omnes qui tali modo in hanc lucem prodeunt, peccatores nascantur, vt infra ostendemus. Duae namq. requiruntur conditiones, vt quis peccatum originale

nale contrahat: vna, quod fuerit in lumbis primi parentis secundum corpulentam substantiam: altera, quod per seminalem propagationem nascatur, per quam in hominem conceptum transfunditur peccatum originale, quod materialiter quidem est fomes ille & concupiscentia, formaliter verò est priuiuatio originalis iustitiæ, vt Sanctus Thomas ait pr. 2. q. 82. art. 3. in corp. Cum igitur Deus nasciturus esset, (quod nunc tanquam certum præsupponitur, neque vt probetur necesse est, cum clarè pateat per Isaiam dicentem, Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. & vocabitur admirabilis, consiliarius, deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. qui puer Deus ipse est, vt dicit Propheta, ipsum fuisse vocandum, & magis declarat, nuncupans eum patrem futuri seculi, quod iuxtà Rabbi Dauidis Chimchi expositionem, idem sonat, ac eum, in cuius manu sunt tempora & momenta, qui habet vitæ ac mortis imperium) ac duas istas habuisset conditiones, necessariò peccati originalis reus extitisset, quod iniquissimum esset asserere. Si autem dicas, Deum sua omnipotentia se a tali labe præseruare potuisse: verum quidem est, sed tamen adhuc intrinsecè reatum habuisset. Quemadmodum si reus aliquis ad mortem damnatus, à Principe absoluitur, rectè qui- Cap. 9

dem quo ad extrinsecum forum absolutus remanet: at non potest ita liberari & absolui, vt intrinsecè reatu peccati careat. Fuisset ergo Deus a peccato originali liber, non natura sed gratia, quod de eo dici nephas est, qui intrinsecè ex propria natura ab omni peccati macula immunis est. Optima igitur erit nostra conclusio. Messias ex virgine nasci debebat, vt manifeste probabimus, ergo Deus ipse futurus erat Messias, qui propter nos homines, & propter nostram salutem de virgine nasci dignatus est, vt nos à diaboli potestate eriperet, ac in Dei regnum & gloriam transferret.

Præterea sequitur ex hoc virginis partu, salutem, qua homines à Messia saluandi erant, non terrenam, vt cæci Iudæi expectantes errant, sed cælestem ac spiritualem fuisse futuram. Nulla enim necessitas cogebat, vt ex virgine nasceretur, ad hoc vt Iudæos à corporali seruitute liberaret, cum illi qui corporum liberatores extiterunt, sicut Moses, Samson, & cæteri, non de virgine, sed de corrupta orti sint. Sed quia à perpetua morte, ac spirituali captiuitate non solum Iudæi, sed homines vniuersi per Messiam redimendi erant: inde est quod ex incorrupta muliere oriturus erat, ne peccator nasceretur. Si enim peccati maculam contraxisset quomodo à peccato nos redimere valuisset?

Adde, eius dignitatem ex hoc articulo colligi, quæ est admirabilis sanctitas, qua eum prophætæ ornatum prædicarunt. Peccatum non fecit, Isaias clamat, neque dolus Cap.
inuentus est in ore eius. Sequitur Daniel, ac 53.
eum iustitiam sempiternam non modò iu- Cap.
stum, sed ipsammet iustitiam propter maxi- 9.
mam eius sanctimoniæ præstantiam appellat. Quibus nominibus indignus esset, si modo communi, quo omnes homines nascuntur, oriturus erat: hoc enim pacto originale peccatum non effugisset, cum vnusquisq. humano semine conceptus ea labe inquinetur. Quoniam autem Iudaica perfidia peccatum hoc contrahi negat, opere pretium erit veritatem hanc ex diuinis scripturis ostendere, vt virginei partus necessitatem statuamus, quò Messias a peccati vinculo liber, vt peccati obnoxios soluere potuisset, manifeste appareat.

CAPVT II.

De peccato originali, quod ab omnibus à primo parente descendentibus contrahi ostenditur.

CVm peccatum originale duo includat, culpam videlicet, & pœnam: hanc Hebræi non negant, sed illam; quam solummo-

do personalem fuisse putant, ipsius Adami, qui diuinum præceptum transgressus, iram Dei incurrit, ex qua postea per pœnitentiam euasit. Sed quoniam pœnam in nobis remanere absque eo quod culpam committamus, manifesta sequitur in Deo iniustitia, quod absit opinari, cum nemini qui culpa careat, pœnam infligat; ideo si pœnam concedunt, & culpam non negare coguntur. Neque omnes pœnas fatentur, sed solummodò fomitem, ac mortem corporalem; cum etiam cælorum aditus per huiusmodi peccatum hominibus interdictus fuerit.

Tres igitur præcipuæ pœnæ sunt, quas nobis quasi hæreditarias primus parens noster propter suam transgressionem reliquit, ex quibus nos illius peccato astrictos esse liquidò patet; fomes, mors, & a cælestibus sedibus expulsio. Peccatum autem originale cum materialiter sit fomes, formaliter autem, vt dictum est, sit carentia iustitiæ originalis: de eo, quatenus fomes est, qui ipsiusmet peccati originalis est pœna, agunt pluribus locis Iudæorum Rabbini: quod & in hominibus reperiri, vt continua experientia constat, cum semper ad malum tendant, prout habetur in Genesis capite 8. יצר לב האדם רע מנעוריו Iètser leb haadam rah minnehurâu. *Fomes*, seu, *figmentum cordis hominis*

nis malum est ab adolescentia sua. Et vsque ad mortem in eis dominari docent. In libro Midras tiliim, qui continet expositionem super psalmos, declarantes psalmum 16. hæc habent verba. אין הקדוש ברוך הוא קורא לצדיקים קדושים עד שיותנו בארץ עד יום מותם למת שיצר הרע מיצר באדם בעולם הזה ואינו מאמין בהן עד יום מותם וכן אמר שלמה כי אדם אין צדיק בארץ אשר יעשה טוב ולא יחטא לפיכך אינו נקרא קדוש עד שינתן בארץ Hoc est. Nõ *vocat Deus illos, qui iusti sunt, sanctos, donec tradantur terra, vsque ad diem mortis eorum: quia fomes malus formatur in homine in seculo isto; & non credit illis vsque ad illorum mortis diem. Ac ita Salomon ait,* Quia homo non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. *Ideo non vocatur sanctus, quousque terra tradatur.*

In eodem libro, super Psal. 34. ita dicitur. אמר ר שמואל בר נחמני אם רעב שונאך האכילהו לחם ביצר הרע הכתוב מדבר אדם הולך עם חבירו שעה אחת נעשה איהכו ויצר הרע הולך עם האדם וגדל עמו כל ימיו שנ כי יצר לב האדם רע מנעוריו אם מצא מקום להפילו בן כ בן ל בן מ בן ע בן פ הוא מפילו Idest. *Dixit* Rabbi Semuel *filius* Nachmani. Si esurit inimicus tuus da ei comedere panem. *De fomite malo scriptura loquitur. Homo enim cum socio suo per vnam horam ambulans fit ei amicus; at fomes malus vadit cum homine, & cum ipso ere-*

Vulgata editio habet, Sensus enim & cogitatio humani cordis in malũ prona sunt ab adolescentia sua.

crescit omnibus diebus eius, sicut scriptum est, figmentum cordis hominis malum est à pueritia eius. *Si inuenit locum, vt ipsum cadere faciat, cum est viginti annorum, vel etiam triginta, siue quadraginta, siue septuaginta, seu octoginta, certe præcipitat eum.* De hoc pariter loquuntur in libro Midràs Cohèleth, idest in Expositione libri Ecclesiastæ super cap. 4. & 9. & in Midras tillim super Psal. 78. & pluribus alijs locis. Ex quibus manifeste colligitur non negari ab Hebræis, fomitem seu concupiscentiam nobis inhærere, quæ materialiter est ipsum originale peccatum. Sed tamen respondent, se talem fomitem concedere prout pœna quædam est, non autem vt culpa. Quibus obijcimus. Cum in vnoquoque homine inueniatur hæc pœna, pariter & culpam in ipso esse fateri cogimur; diuina enim iustitia nemini absque culpa pœnam infligi patitur. Culpa autem actualis esse nequit, cum huiusmodi pœna reperiatur in nobis etiam in egressu ex vtero matris, quo tempore actualis peccati nemo capax existit; relinquitur ergo, originalem culpam, quæ ab omnibus contrahitur, huius pœnæ causam dicendam esse. Quod etiam ex diuina scriptura clarius colligitur; cum in Psalmo quinquagesimo habeatur הן בעון חוללתי ובחטא יחמתני אמי Hen behauòn cholàlti, vbchet iechemàtni immi.

immi, *Ecce in iniquitate conceptus ſum, & in peccato caleſecit me*, vel, *concepit me matɩr mea*. Neque de alio loqui poteſt, niſi de peccato originali, quo homines concipiuntur: non autem de actuali peccato, cuius nec ipſe Dauid, qui loquitur, reus erat, cum naſcendo non peccauerit, nec eius proximi parentes illud perpetrarint, cum eſſent legitimo matrimonio coniuncti. Fomes ergo ille appellatur iniquitas & peccatum, quo ſe conceptum ſanctus Dauid confitetur. Quod etiam de cæteris hominibus aſſerendum eſt. Neq; minori euidentia habetur hoc ex Iſaiæ teſtimonio, dum capit. 43. ait, אביך הראשון חטא ומליציך פשעו בי ואחלל שרי קדש ואתנה לחרם יעקב וישראל לגדופים Auicha harisòn chatà, vmlitsècha paſehù bi: vahachallèl ſarè côdes, veettenà lachèrem Iaacob, ve Iſrael leghidduphim. *Pater tuus primus peccauit, & principes tui rebellauerunt a me: & prophanaui principes ſanctos, & dedi Iacob in excommunicationem, & Iſrael in opprobria*. De peccato primi parentis loquitur: propter quod Deus excommunicauit, principes etiam ſanctos, qui prius opprobrio pleni erant ante Deum, non propter ipſorum actuale peccatum, ſed propter primi hominis culpam, cuius & ipſi, cum ex eo nati eſſent, rei facti ſunt. Atque ſcripturam hanc de primo homine intelligi debere, aſ-

firmat

firmat Rabbi Dauid Chimchi dicens, אבך ראשון חטא הוא אדם הראשון כי תאדם מוטבע בחטא כי יצר לב האדם רע מנעוריו Pater tuus primus peccauit, *Hic est homo primus: quia homo informatur peccato, cum figmentum cordis hominis malum sit à pueritia sua.* Quibus verbis docet, non solum peccatum primi hominis in nos transfundi, sed etiam hoc peccatum nomine fomitis appellari, cum producat ea verba Genesis, *fomes cordis hominis malus est ab infantia.*

CAPVT III.

Mortem, peccati originalis pœnam esse ostenditur.

NVnc de secunda pœna, quæ est corporalis mors, disseramus. Hæc omnibus dominatur hominibus, cum nemo sit qui viuat, nec mortem videat. Quam Adami peccati pœnam esse, illis manifeste patet, qui verba Dei cum eo loquentis animaduertunt, ait enim Gen. cap. 2. ביום אכלך ממנו מות תמות Beiom acholchà mimmènnu, moth tamùth. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Signum est, quod si non comedisset, neque ipse esset mortuus, neque nos mortis essemus obnoxij. Si enim homo, seclusa fractione præcepti mortuus esset,

esset, nulla esset causa ob quam Deus homini in pœnam suæ transgressionis mortem minatus esset. Quod autem mortem communem, cui vniuersi subiacent, ei minatus fuerit, probatur ex verbis Rabbi Bechaidi sic dicentis מות תמות אין הכוונת שימות ביום אכלו אלא שיחיה בן מית כי על דעת רבותינו זל לולי שחטא לא ימות לעולם אבל יהיה קיים נצחי כמלאכי השרת Morte morieris. *Non est intentio scripturæ, quòd eodem die, quo comedit ex fructu vetito, moreretur, sed quod mortis reus, seu mortalis fieret; quia secundùm nostrorum magistrorum sententiam, si non peccasset, in æternum non mortuus esset, sed stabilis fuisset, ac perpetuus, velut angeli ministri Dei*. Sed apertius hoc habetur ex ר. abbi Mose Gerundensi, qui in eodem Gen. cap. postquam phylosophorum opiniones retulit, asserentium, etiam secluso peccato hominem mortuum fuisse, hæc verba addit. ועל דעת רבותינו אלמלא שחטא לא מת לעולם כי הנשמה העליונית נותנת חיים לעד והחפץ האלהי אשר בו בעת היצירה היה דבק בו לעד והוא יקיים אותו לעד. *At iuxtà Babbinorum nostorum doctrinam, si homo non peccasset, nunquam mortuus esset: quia anima intellectualis dedisset ei vitam in perpetuum. Et diuina voluntas in tempore creationis erat, vt semper ei coniuncta esset, & ipse reddidisset illam in æternum stabilem*. Patet igitur, corpora-

lem

lem hominis mortem primi hominis peccati pœnam esse: cui cum omnes homines subiectos videamus, & ipsos illius peccati reos esse, nisi diuinæ iustitiæ iniuriam irrogare velimus, negare non possumus.

In libro quoque ialcùt super cap. 7. Ecclesiastis tam clarè habetur hæc veritas, vt magis nequeat desiderari. Ibi namque veteres Rabbini asserunt, Deum in ipso creationis principio duxisse primum hominem in paradisum, ac totam eius ostendisse pulcritudinem, dicendo se omnia propter hominem condidisse, subiunxit autem. Caue ne pecces, quia omnia amittes, & mortem acquires. Deinde subdunt, עמד וקלקל במעשיו וקנה לו מיתה ולדורותיו עד סוף כל הדורות *Stetit homo, & destruxit opera sua, mortemque emit sibi suisque generationibus vsque ad finem omnium generationum.* Quod etiam exemplo declarant, dicentes: Quando Deus iussit Mosi, vt in montem ascenderet, ibi moriturus, hoc ipse ægre tulit, ac doluit. Similis fuit Moses cuiusdam mulieris facto, quæ cum in carcere detenta filium peperisset, ibidem filius nutritus fuit, & creuit. Cum quadam die Rex carcerem viseret, puer coram illo flere cepit, iniuste se ibi detentum conquerens; cui rex, propter peccatum matris tuę, inquit hoc pateris. Sic & Moses propter Adami peccatum moriturus erat. Si

autem

autem Moses peccati primi hominis reus non fuisset, nequaquam pœnam illam tulisset, cum nesciat diuina iustitia innocentes, ac à peccato immunes pœna mortis punire. Erat igitur Moses vnus ex ijs principibus sanctis, quos Isaias superiùs dixit, Deum propter primi patris peccatum in opprobrium, idest, in mortem dedisse. Cum ergo Moses, qui tanta pollebat sanctitate, Deo tam charus extitit, vt cum illo sicut amicus amico solet, familiariter loqueretur, vt scriptura testatur, hanc pœnam non euaserit, nemo se ab ea liberari speret; nemo est qui semper viuat, sed omnes morimur, & quasi aqua dilabimur. Hoc autem propter primi hominis laspum, quod & nostrum esse peccatum asserere debemus. *Exod. 33.*

CAPVT IV.

De tertia poena originalis peccati, quæ erat ad infernum descensio.

NOn obscuris scripturæ diuinæ auctoritatibus innotescit nobis tertia, quam diximus, homines incurrisse pœnam propter primi parentis peccatum, quæ est gloriæ diuinæ priuatio, ex cælestibus sedi-

ſedibus expulſio, ac paradiſi ianuæ interclusio; omnes enim ante aduentum Christi, per quem æternitatis aditus reſeratus eſt, ad inferos deſcendiſſe, ex multis locis colligitur. Pſ. 48. אלהים יפדה נפשי מיד שאול כי יקחני Elohim ijphdè naphsì mijad ſeòl chi ijccachèni, *Deus redimet animam meam de manu inferni, cum acceperit me.* Hoc eſt cum acceperit carnem meam, aliqui dicunt: cum homo, vti ego ſum, ipſe fiet, tunc me ab inferno liberabit, quaſi dicat, non ante ipſius aduentum liberabor, quia omnes in tempore illo ad infernum deſcendebant, eo quod paradiſi ianua omnibus clauſa nulli viam in cælum præſtabat. Pſal. 88. מי גבר יחיה ולא יראה מות ימלט נפשו מיד שאול Mi ghèuer ichiè, velò ijrè màueth, iemallèt naphsò mijad ſeòl. *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferni?* Iſai. cap. 38. dixit Ezechias rex Iudæ, אני אמרתי בדמי ימי אלכה אל שערי שאול Ani amarti bidmi iamài elechà beſaarè ſeòl, *Ego dixi in abſciſſione dierum meorum vadam ad portas inferni,* Iob cap. 10. אלך אל ארץ חשך וצלמות Elèch el èrets chòſech veſal màueth. *Vadam ad terram tenebroſam & vmbram mortis.* Sed plenius in libro Geneſ. cap. 37. ארד אל בני אבל שאלה Erèd el beni auèl ſeòla. *Deſcendam ad filium meum in infernum lugens.* Verba ſunt Iacob patriar-

chæ

chæ lugentis propter Ioseph filium suum, quem mortuum credebat; cumque inconsolabiliter fleret, in hæc verba prorupit, Ibo in infernum ad filium meum videndum. ex quo patet, ipsum Iacob credidisse filium suum in inferno fuisse. Neque valet responsio dicentium nomine *Seòl* intelligi sepulcrum, ac nihil aliud significare verba Iacobi, nisi eum mærentem ac lugentem in sepulcrum ad filium suum, seu cum filio suo descensurum, idest moriturum: quia cum ipse putaret filij sui sepulcrum esse feræ pessimæ ventrem, à qua deuoratum fuisse dixerat, credendum nullo modo est, ipsum in tale sepulcrum, se descensurum dixisse. Licet enim *Seòl* sepulcrū significet, tamen etiam infernus hoc nomine appellatur, vt videre est in Talmùd, tractatu עירובים *Hirubim*, cap עושים *Hosim*, vbi ita legitur ז שמות יש לו לגהנם שאול וכו *Sex nomina habet infernus, quorum primum est Seòl.* &c. & ideo dicendum hoc in loco pro inferno debere accipi, vbi antiquitus omnes etiam sancti detinebantur; propterea non est mirum, si Iacob filium suum Ioseph, quem quasi mortuum deplorabat, in inferno esse credebat.

Sed optimum ac irrefragabile testimonium ad hanc veritatem astruendam habetur in lib. primo Regum, cap. 28. vbi cum Saul Hebræorum rex Samuelem prophetam

iam

iam præmortuum consulere vellet, ad Pythonissam mulierem recurrit, rogans eam, vt suas magicas artes exercendo, Samuelem ab inferis suscitaret. Quæ licet renitens fecit quod ille optabat: & cum omnia quæ requirebantur ad opus illud, perfecisset, vidit Samuelem ascendentem, ac timens exclamauit. Cui Saul dixit, quid vidisti? illa respondit, Deos vidi ascendentes de terra. Conuersusque Samuel ad Saulem, dixit ei, quare inquietasti me? vel, vt habetur in hebraico contextu, למה הרגזתני lámma hirgaztáni. *quare terruisti me?* Cumque Saul causam vocationis indicasset, respondit ille. Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te? & adiecit, Cras tu & filij tui mecum eritis. Ex hac historia multipliciter ostenditur etiam sanctos quoscunque veteris testamenti, regni cęlorum aditu pręcluso, ad inferos moriendo descendisse. Primò ex hoc, quod Saul cum Samuele loqui cupiens, ad Pythonissam pergit, quæ suis incantationibus illum ab inferis euocet. Ergo Saul, & cœteri omnes credebant, mortuorum animas, etiam iustorum, qualis erat Samuel, in inferno detineri; si enim in cœlo eas esse credidissent, non certè recurrisset Saul ad Pythonissam, quæ nullam in cœlestibus mansionibus, cum suis artibus habebat potestatem. Deinde, animam Samue-
lis

iis tunc temporis in inferno fuisse, probatur ex verbis mulieris ad Saulem: quæ cum vidisset Samuelem dixit:Deos vidi ascendentes de terra. ex quo de terra ascendebat, cognoscitur, eum sub terra fuisse, in inferno videlicet, qui sub terra est; non autem in cœlo, quod supra terram manet: ascendentes inquit, non descendentes. & Samuel dixit Sauli, quare me terruisti, vt faceres me ascendere? Si ascendit, de loco inferiori ascendit;non igitur de cœlo quod in superiori parte situm est. Tertiò ex verbis ipsius Samuelis dicentis, quare terruisti me? Si in cœlo fuisset, nunquam se territum dixisset, cum ibi nullus possit esse terror: sunt enim omnes beati, & de sua beatitudine securi, certò scientes, se nulla posse perturbatione concuti, aut terrore commoueri. Sed cum esset in inferno, idest, in limbo, sentiens se vocari, Dei iudicium timuit,aiunt Rabbini in Talmud tract. חגיגה *chaghighà.* cap. הַכל חייבין *baccol chaÿeuin,*quorum hæc sunt verba ר אלעזר כי הוה מטי להאי קרא בכי ויאמר שמואל אל שאול למה הרגזתני להעלות אותי ומה שמואל הנביא היה מתירא מיום הדין אנו על אחת כמה וכמה *Rabbi Eleazar cum ad hanc scripturam peruenisset, fleuit.* Et dixit Samuel ad Saul. quare me terruisti, vt me ascendere faceres? *Si Samuel propheta timebat propter diem iudicij, quanto magis nos timere*

debemus? Ex quibus verbis constat Samuelem tunc timuisse putantem, se ad diem iudicij vocari. non igitur in cœlo erat, vbi nullus est timor: vbi qui manent, nulli iudicio subsunt.

Quartò. Samuel cum Saule loquens, dixit, *Cras tu, & filij tui mecum eritis*. Quibus verbis ei mortem prædixit: qui cum in peccato suo mortuus fuerit, proculdubio in infernum detrusus est. Quod autem in mortali peccato mortuus sit Saul, testatur scri-
1. *Paral. c.* ptura dicens, Mortuus est ergo Saul pro-
10. pter iniquitates suas, eo quod præuaricatus sit mandatum domini, quod præceperat. Cum igitur ad infernum descensurus esset, eo quod peccator erat, eumque cum Samuele fore affirmasset, sequitur, & ipsum Samuelem tunc in inferno fuisse detentum. cum discrimine tamen: nam Saul vt damnatus, Samuel autem vt in custodia vsque ad præfinitum tempus Messiæ, qui ipsum cum cœteris sanctis ex inferni manu erepturus erat. Nec animam tantummodò Samuelis in inferno detentam esse, ex hac scriptura colligitur, sed & aliorum etiam sanctorum animas ibi asseruatas fuisse. Mulier enim pythonissa dixit, se vidisse Deos ascendentes de terra; non de vno loquitur, sed de pluribus. Rabbini dicunt, cum Samuele ascendisse Mosem, qui in eodem carcere clausus mora-

morabatur, vt patet ex libro Ialcut, vbi hæc ſunt verba מת היא דכתיב ותאמר האשה אל שאול אלהים ראיתי עולים מן הארץ עולים תרי משמע חד שמואל ואידך דאזל שמואל והייתי למשה בהדיה אמר דלמא חס ושלום לדינא מתבעינא קום בהדאי אי איכא מלתא כתיבא באוריתא ולא קימתיה *Quid ſibi vult quod ſcriptum eſt*, & dixit mulier ad Saul, Deos vidi aſcendentes de terra? *Hinc habetur, non fuiſſe ſolum Samuelem qui aſcendit: ſed duos fuiſſe, vnum Samuelem, alterum Moſem: cui Samuel dixit, forſitan ad iudicium vocor; veni ergo mecum, vt teſtificeris, nullum eſſe verbum in lege ſcriptum, quod non ſeruauerim*.

Si igitur horum duorum animæ, qui iuſti fuerunt ante Dominum, in inferno morabantur, quanto magis cœteros in eodem loco detentos fuiſſe, aſſerendum eſt? Quod auctoritate veterum Rabbinorum in libro Midràs Semuel comprobatur, qui aiunt, צדיקים רבים עלו עמו *Multi iuſti aſcenderunt cum illo*. At quæ tanti mali cauſa? cur iuſti, & ſancti, ac amici Dei tali ac tam obſcuro detinebantur loco? certè nulla eorum actualis mortalis culpa, quam vel non habuerant, vel pœnitentia diluerant. Ergo non ob aliam cauſam a cæleſtibus ſedibus ſecluſi erant, niſi ob illud, quod diximus, originale peccatum, cuius niſi rei fuiſſent, nunquam talem pœnam paſſi eſſent: à qua po-

ſtea per Meſſiam liberandi erant. quod per Dominum Ieſum factum eſt. ipſe enim morte ſua ſaluauit omnes: ſanguine ſuo portas ferreas inferni confregit, & vinctos qui ibi tenebantur, abſoluit.

Neque relinquendum eſt illuſtre teſtimonium Dauidis: qui ſicut ſuperius de culpa originali loquens, ſe in ea conceptum fuiſſe fatebatur: ita per hanc, inferni locum meruiſſe affirmat, ex quo per Meſſiæ aduentum ſe erutum fuiſſe lætatur; & Deo gratias agens dicit, אודך יי אלהי בכל לבבי ואכבדה שמך לעולם כי חסדך גדול עלי והצלת נפשי משאול תחתיה Odechà Adonai Elohài bechol lebaui, vaachabbedà ſimchà leholàm: chi chaſdechà gadòl halài, vehitſàlta naphsi miſ-
Pſ. 85. ſeòl tachtijà. *Confitebor tibi Domine Deus meus, & glorificabo nomen tuum in æternum: quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eripuiſti animam meam ex inferno inferiori*. Iure optimo Deo gratias agit, toto corde & ore illum laudans ob eius magnam miſericordiam in ſe expertam in liberatione ab inferni pœnis, quas per peccata commeruerat. & quia inferni variæ ſunt regiones, quarum infima damnatorum eſt: ab hac ſe ereptum dicit propheta, non autem ab alijs, quæ iuſtorum loca erant. Cum enim dicat, ſe ex inferno inferiori erutum eſſe, ſequitur dari etiam infernum ſuperiorem,

rem: de quo nihil de liberatione, nec se ab eo liberatum affirmat. Et in hoc inferno superiori, in quo nulla est pœna sensus, clausi morabantur patres illi sancti, de quibus loquimur, non ob actualem ipsorum mortalem culpam, sed vt primi parentis transgressionis rei, è paradiso eiecti, diuinum ibi expectabant redemptorem, qui cælorum aditus eis patefacturus erat. Nam si de magna domo loquens, mentionem facis inferiorum cellularum: in ea & superiores esse necessarium est. si ergo de inferno inferiori loqueris, proculdubio & superiorem inueniri demonstras.

Confirmatur hoc ex doctrina Rabbinorum: quorum vniuersalis regula est, verba scripturæ illatiua esse, ita vt ab vno sensu oppositum eliciatur. Cuius exemplum est in libro מכלתא *Mechiltà*, vbi hæc habentur
כבד את אביך ואת אמך אם כבדתם למען יאריכון
ימיך ואם לאו למען יקצרון שדברי תורה נוטריכון
שכן דברי נדרשין מכלל הן לאו מכלל לאו הן Honora patrem tuum, & matrem tuam. Si *illos honorabis, prorogabuntur dies tui: sin autem, breuiabuntur; quia verba diuinæ scripturæ hoc habent, vt ex affirmatiuo sensu colligatur negatiuus, & ex negatiuo habeatur affirmatiuus*. In libro quoque Ialcut magis ad rem faciunt ea, quæ a Rabbinis dicuntur super caput 36. Ezechielis prophe-

tæ., vbi docent fomitem, ſeu originale peccatum, quod ipſi figmentum malum dicunt, ſeptem nominibus appellari, quorum primum eſt, immundum; ad quod probandum citant illud Pſalmi 51. *Cor mundum crea in me Deus*. Hæc eorum ſunt verba שבע שמות יש לו ליצר הרע וכו. דוד קראו טמא שנ. לב טהור ברא לי אלהים מכלל דאיכא טמא *Septem ſunt nomina fomiti. Dauid vocauit eum immundum, dicens,* Cor mundum crea mihi Deus. *Ex hoc ſequitur quod ſit immundus*, per regulam ſacræ ſcripturæ. Si hoc verum eſt de contrarijs, vt patet per exempla Rabbinorum, multo magis de relatiuis, quorum vno poſito, & alterum poni neceſſe eſt. inferius autem, & ſuperius non ſolum contraria, ſed & correlatiua ſunt: ac dato inferiori, etiam ſuperius neceſſe eſt, vt detur. Erit ergo duplex infernus, inferior, qui eſt damnatorum locus, ex quo Dauid ſe ſeruatum fuiſſe gaudet: alter eſt ſuperior, vbi ſancti patres, Chriſti aduentum expectantes detinebantur. Hunc autem non dicimus locum fuiſſe pœnarum, ita vt iuſti illi pœnis & cruciatibus inferni torquerentur. Quod & Rabbinorum doctrinæ conſentaneum eſt: In libro namque הגיגה Chaghighà, in cap. quod incipit חומר בקודש habentur hæc verba. תח אין אור של גהינם שולטת בהם קו מסלמנדרא ומה כלמנדרא שתולדות האש היא הכן מדמי אין אור.

אור שולטת בו חח. שגופן אש דכתיב הלא כה דברי
כאש נאם יי. *Discipulis sapientum* (ideſt iuſtis) *non dominatur ignis inferni. euenit eis ſicut ſalamandra. quem admodum enim ſalamandra in igne conſiſtens non comburitur: ſic & iuſtos ignis inferni non offendit, cum iuſti ſint ignis.* Sicut ſcriptum eſt, Nunquid non verbum meum vt ignis, dicit Dominus? Ex iſtorum verbis habemus, iuſtos eſſe in inferno, non tamen inferni ignem eos pati; cum enim dicant ab inferni igne iuſtos non lędi, de ijs, qui in ipſo manent, intelligi debet. ridiculum enim eſſet, dicere, eos qui extra infernum ſunt, ab ipſius igne non comburi. In hoc igitur inferno abſque pœna ignis, ſancti & iuſti collocati Dominum Meſſiam ac redemptorem præſtolabantur, vt eis cœli portas aperiret, quæ ob primi hominis inobedientiã clauſæ, erant nec vllus quanuis iuſtus ingredi poterat. Hoc totum propter eorum cum Adamo coniunctionem, cum in eius lumbis fuerint, ac per ſeminalem propagationem ex mare & femina progeniti, & ex conſequenti peccatores fuerant. His omninò ſimilis fuiſſet Meſſias, ſi eo modo, quo cæteri omnes, ex humano ſemine natus eſſet, peccator vtique fuiſſet; & quomodo alios ſaluos facere valuiſſet? Propterea cum, ne originalem maculam contraheret, de virgine muliere, viro ignota, naſci neceſſe fuit.

Ierem. 23.

Quod & diuinæ ſcripturæ apertis figuris, prophetarum non obſcuris oraculis, atque etiam ex Rabbinorum veterum doctrina, Deo adiuuante oſtendemus.

CAPVT V.

Meſſiam ex virgine naſciturum fuiſſe, oſtenditur ex libro Geneſis.

TAle ac tantum eſt diuinæ incarnationis, & humanæ redemptionis myſterium: vt non ſemel, ſed ſæpiſſime, & quidem multifariam multiſque modis in ſacris literis reuelatum ſit. Hinc eſt, quod Chriſtus
Io: 5. Dominus dicebat Iudæis, Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam habere: & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent
Luc.24 de me. Et alibi, diſcipulos ſuos alloquens ait, Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis de me. Neque verbis ſolummodò, ſed & operibus id nobis indicauit Deus, qui verbis & factis loqui ſolet. Sed in lege Moyſi, in libris videlicet, quos ipſe ſcripſit, multa & mirabilia de redemptore nobis innoteſcunt. Quod Iudæorum Rabbini docent in libro Talcut caput primum Geneſeos exponentes.

nentes, vbi hæc habent verba ר יהודה בן סימון אומר מתחילת ברייתו של עולם הוא גלי עמקתא ומכתרתא Rabbi *Iudas filius Simonis dicebat, A principio creationis mundi ipse* (Deus) *reuelauit profunda & abscondita mysteria & sacramenta.* De Messia profectò loquūtur, cuius mysteria Deus in ipsis etiam primis mundi operibus manifestauit; quod clarius patet ex ipsorum verbis in eodem libro super cap. *60.* Isaiæ, quæ sunt, מה היא כא׳רך נראה א׳ור זה אורו של מש׳ח שנ. וירא אלהים את האור כי טוב מ׳למד שצפה הקבה ברורו של מש׳ח ובמעשיו קודם ברא העולם *Quid sibi vult, id quod habetur in Psal. 36.* In lumine tuo videbimus lumen? *lumen hoc est Messias; sicut scriptum est,* Vidit Deus lucem quod esset bona. *Docet, quod Deus sanctus ac benedictus respexit Messiam atque opera eius antequam crearet mundum.* In libro quoque R*abboth* super primum caput Gen. aiunt, ורוח אלהים מרחפת על פני המים זה רוחו של מלך המשיח איך מה דאתאמר ונחה עליו רוח יי וגו׳ Et Spiritus Dei mouebatur, seu cubabat super faciem, siue superficiem aquarum. *Hic est spiritus Messiæ, de quo scriptum est,* Requiescet super eum spiritus Dei &c. Lux est Christus, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, tenebras errorum expellens, lucemque veritatis infundens ac spiritus viuificans mortuos, infideles nimirum, qui mortui appellantur; iux-

tà

Matt.8 tà illud, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, ad viam veritatis, quæ vera via est, reducens. Sed ömmissis, quæ de eo ex Moysi libris hauriuntur, de eius admirabili natiuitate tantummodò nunc aliqua in medium proferamus. Quam non vt aliorum hominum ex Adam descendentium, sed qualis fuit ipsius primi hominis de terra terreni, qui secundi hominis de cœlo cœlestis, quò ad hoc, figura extitit, futuram fuisse colligitur Sicut enim ille ex terra virgine, pura, ac intacta formatus fuit: sic & iste de muliere virgine, immaculata, & viro incognita formandus ac nasciturus erat: atque, vt Isaias ait, Cap. 53. tanquàm radix de terra arida & sitienti ascensurus. Hæc est prima Christi figura ex libris Moysis, quam Deus hominibus ad hoc mysterium reuelandum ostendit. Cum enim vt diximus, ab initio mundi in omnibus Dei operibus, Messiæ imago resplendeat: quid aliud ista Adami ex tali terra formatio nobis innuere potest, nisi virginis partum, ac Messiæ natiuitatem, qui non ex virili semine, sed mistico spiramine ex matre virgine, in lucem proditurus erat?: Non ne veteres patres, Messiæ eiusque operum, vt & Rabbini fatentur, figuræ ac imagines erant, hic in vna, ille in alia re ipsum representantes? Ecce primus parens in sua productione illum delineauit ac pinxit. Si autem Iudæi hoc negent:

gent: ab eis interrogemus, Cur Deus prima die lucem creans, ad Messiam respexit, ac sub lucis nomine Messias est intelligendus? qua ratione hoc afferunt? cur non etiam in Adamo plasmando Messiam Adami redemptorem respexit, eumq; modo, quo dicimus nasciturum innuit? Quin, & ex Euæ productione hoc pariter colligi videtur, quæ ex viro sine muliere formata est. Vno enim contrario posito, & alterum poni oportet: nigro dato, & album dari necesse est. Cumque Adam sine viro, ac sine muliere productus fuerit: eius contrarium datur in nobis omnibus, qui ex viro ac muliere progeniti sumus. Generationi verò Euæ, quæ sine muliere producta est, tanquam suum contrarium correspondere debet generatio quæ fit ex muliere sine viro: atque hæc est generatio Messiæ. Propterea in hoc libro Genesis cap. 40. Messias appellatur שילה *Silò*, ibi, *Donec veniat qui mittendus est*, de Messia est sermo. In textu hebraico habetur, *Donec veniat Silò*. Quod interpretatur *filius eius*, vt ait Rabbi Dauid Chimchi in libro *Sarasim*, in dictione שיל *Sil.* Notandum autem est, illud pronomen *eius* fœminini generis esse: nam apud Hebræos littera ה *he* nota est fœminei sexus; ideo cum שיל *sil* sit filius, & coniungatur cum littera ה fœminea, dicendo שילה *silò*, erit idem ac filius eius; non viri: alio-

alioquin diceretur שילו non autem שילה. Et licet proferatur *filò*, quæ terminatio masculina est: tamen, quia ibi non est littera ו *vau* quæ generis masculini pronomen constituit, sed littera ה *he*, quæ sexum fœmineum indicat, interpretari debet filius eius, non viri, sed mulieris. Et hoc præcipue si dictio hæc legatur sine punctis, vti Iudæi solent in synagogis suis, tunc enim tutè legi poterit שילה *silah*: quæ vox absque vlla controuersia filium eius mulieris significat. Sic ergo ait sanctus patriarcha Iacob; Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius: donec veniat filius eius. cuius eius? Mariç virginis; quia cum ipsa Messiam Iesum dominum nostrũ sine viri ministerio conceperit, ac pepererit, rectè ille eius filius dicitur. qui non secundùm primam generationem, vt primus homo sine viro ac muliere; neque vt fuit secunda, ex viro sine muliere: nec etiam iuxtà tertiam, quæ est ex mare, ac femina: alioquin peccator natus esset; sed per quartam generationem venit ad nos redemptor noster, ex muliere sine viro, ex pura ac intacta purus, sanctus, & immaculatus, segregatus à peccatoribus natus. Per cuius sanctitatem homines sanctificati sunt, à peccatis redempti, & à diaboli tyrannide erepti.

CA-

CAPVT VI.

Messiæ matris virginitatem in rubo à Domino* Moysi *ostenso figurari.

IN altero Moysis libro, qui Exodus appellatur, mysterium hoc non obscurè innuitur. Cum enim ibi de Hebræorum seruitute in Ægypto, ac de eorum per Moysem liberatione sermo fiat: tanta inter captiuitatem illam, quam tunc sub Pharaone filij Israel patiebantur, & eam, qua filij Adam sub diaboli tyrannide premebantur, intercedit similitudo, sicut & inter vtriusque redemptionem: vt rectè asserere possimus, illam huius fuisse figuram, ac etiam de hac Spiritum sanctum misticè fuisse locutum. Ea, qua in Ægypto grauabantur Hebræi, duplici titulo grauissima iudicatur: interna videlicet, & externa miseria. Interna quidem, eo quod libertate priuati, filijs quoque qui ex eis nascebantur, orbati remanebant: cum ex impij regis decreto omnes interficerentur. Externa verò, in tot ac tantis oneribus deferendis, ac in operibus luteis tota die laborando, verberibusque afflicti, infelicem viuebant vitam. Ita porsus de spirituali hominum captiuitate post Adami peccatum euenit: interna afflictione, fomite videlicet, carnis

concu-

concupiſcentia, rebellione membrorum, ſenſus & rationis pugna, hominibus inceſſanter afflictis. externa deinceps mala perferendo, quæ ſunt, morbi, fames, bellum, & his ſimilia, in quæ quotidie incidimus. Seruieruut Hebræi ijs, quibus antea imperauerant, eo tempore quo Ioſeph Ægypto dominabatur. Sic & homines cum prius ſuper omnes animantes imperium habuiſſent, poſt peccatum ſimiles illis facti ſunt, vt ait Propheta, ac imperio amiſſo, formido & pauor ſucceſſit. Sicut captiuitates iſtæ aliquali ſimilitudine conueniunt: ita de earum redemptionibus dicendum eſt. Audiuit Dominus afflictionem filiorum Iſrael, & liberauit eos. Vidit omnium hominum duriſſimam ſeruitutem, & deſcendit, vt vincula eorum diſrumperet, ac redimeret eos. Miſit ad filios Iſrael in Ægyptum Moyſem ſeruum ſuum. Miſit ad omnes filios Adæ Ieſum filium ſuum. In ſignum liberationis tunc futuræ ab Ægyptia ſeruitute, apparuit Moyſi in rubo qui ardebat, non tamen comburebatur. Ita in ſignum humanæ redemptionis à diaboli poteſtate, rubum non conſumptum, quamuis ardentem oſtendit, virginem videlicet parientem, & tamen in virginitate perſeuerantem.

Sed prius quid Rabbini ſuper hoc afferant, videamus. In libro Ialcut hæc haben-

tur

tur verba אחר אילן מתיך ולא הסנה מתיך למה
בשעבור נתונים והם: בצרה אנכי עמו הקבה אמר
שסולו הסנה מתיך לפיכך אחר אילן מתיך נגלה ואני
קוצים מלא *Quare apparuit ex medio rubi potius quàm alterius arboris? Dixit Deus sãctus ac benedictus, Cum ipso sum in tribulatione. Ipsi traditi sunt in captiuitatem, ego verò apparebo in medio alterius arboris? propterea in rubo visus est, qui totus spinosus est.* Voluit Deus in hoc signo ostendere Moysi, quàm cupidus esset, ac sollicitus de Hebræorum liberatione: nè Moses illos tàm dura seruitute oppressos videns, eorum salutem desperaret, ideo in rubo, qui spinis plenus est, apparuit Deus, ostendens se illorum calamitatibus, quasi quibusdam spinarum punctionibus torqueri, ac propterea illorum liberationem accelerare.

Ex his habemus per rubum iuxtà Rabbinorum doctrinam designari Deum. quod re vera non valde quadrat, cum rubus sit arbor siluestris, & infructifera. Vtcumque sit, aliquid magnum rubus iste innuit, & ita nobis aperitur ianua ad sacra Dei mysteria de diuina incarnatione, ac de virginis partu: quem pro signo humanæ redemptionis per Christum tunc agendę dedit nobis Deus. Ac multò melius quàm Rabbini, dicere possumus, per rubum humanam naturam omnium bonorum operum fructu carentem demon-

demonstrari: ignem autem in rubo manentem, non tamen ipsum deuoratem, Deum significare, de quo dicitur אלהיך אש אכלה הוא Adonâi elohècha es ochèla hu. *Deus, Deus tuus ignis consumens est*. Ostendit Moysi Dominus quo modo populum suum à diaboli captiuitate eripere vellet; idest, Deus cum humana natura coniungendus erat, ipse velut ignis circundaturus rubum, humanitatem assumens, sibique eam in sua diuina persona vniens, futurus ipse Emmanuel, idest, nobiscum Deus, de quo Isaias capit. 7. vt infra videbimus. In rubo ergo à Moyse viso multa demonstrata illi fuerunt ad Ægyptiam captiuitatem, eiusque liberationem spectantia: sed multò plura, ac longè maiora in eo ad totius humani generis spiritualem seruitutem, eiusque redemptionem ordinata reuelauit Deus; quorum præcipuum est increati verbi incarnatio. In cuius rei signum est id, quod à Rabbi Mose Gerundensi affertur: Angelum, qui hoc loco dicitur in rubo Moysi apparuisse, eum esse, de quo habetur sermo apud Malachiam cap. 3. in ijs verbis ומלאך הברית אשר אתם חפצים Vmalàch habberith, asèr attèm chaphetsim. *& Angelus testamenti quem vos vultis*. Hic autem sine controuersia Messias ipse est. Ac propterea dicendum, sub hac in rubo apparitione, mysterium incarnationis fuisse reuela-

Deut. 4.

In nostra editione habetur Apparuit ei Dominus in flãma ignis de medio rubi. ***At in textu hebraico dicitur***, Apparuit Angelus Dei.

uelatum, ac si aperte dixisset; Egomet qui tecum in hac rubi flamma loquor, liberationem populi tui ab Aegypto promittens, cum plenitudo temporum venerit, ad omnes homines redimendos descendam. At quia hoc incredibile videbatur, cum humana ratio capax non sit, quonàm modo Deus, qui ignis est, adhæreat humanæ carni, quæ veluti stipula reputatur, eam non consumendo; hoc ei signum rubi ardentis, & inconsumpti datur, vt diuinæ incarnationis possibilitatem agnoscat. Sicut enim ignis illi rubo coniunctus ipsum non consumpsit, sed integrum reliquit: sic Deus tanto federe, vt ait beatus Leo Papa, vtramque naturam conseruit, vt nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Neque id solum ex hoc rubo docemur; sed multò clariùs; illud de quo agimus, Christi matris virginitatis nobile mysterium. quod in ipso rubo cognitum fuit: quemadmodum Ecclesia canit, Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem Dei genitrix. Ignis rubo coniunctus, Deus in medio virginis, in eius vterum ingressus: indeque Deus & homo egressus, non amisso virginitatis flore, sed claustra pudoris integra, & virgo in æternum permanet. Neque alicui

Ser. 1. de nat. Dom.

C mirum

mirum esse debet, purissimam virginem rubo spinis referto assimilari: nam & eius filius, qui Deus est, vilioribus rebus quandoque in sacris literis comparatur. Apud Isaiam cap. 14. vocatur regulus, cum dicitur, *De radice colubri egredietur regulus*. Chaldæus Paraphrastes habet, *De filijs filiorum Isài egredietur Messias*. In Psal. 22. appellatur vermis: & Deus ipse appellatur leo, aliaque id genus animalia ei accommodãtur; non certè propter malas, quæ eis insunt proprietates, sed ob quasdam, quæ bonæ sunt conditiones. Spinæ assimilatur Maria ob multas, quæ in spina reperiuntur, accommodatas rationes: quarum hæc nunc sufficiat. E rubo, seu, spina oritur rosa: ab hac virgine natus est Christus, cui nomen est rosa, ac lilium. Hæc igitur spina quamuis in medio ignis esset, a Deo videlicet circundata, vel ipsa eum circundaret, vt ait Ieremias, de quo infra loquemur, nullum in ea lesionis remansit vestigium. Hoc est admirandum diuinæ incarnationis signum, humanæ reparationis principium.

Ex libro quoque Leuitici a quibusdam non minus doctrina, quàm pietate ornatis auctoribus, mysterium hoc deducitur. Cum in cap. 12. dicatur, *Mulier si suscepto semine, pepererit masculum, immunda erit septem diebus*. Examinandum est illud, *suscepto*

semine.

semine. quia inde sequi videtur, inueniendam fuisse aliquam mulierem, quæ non suscepto semine esset paritura: quæ ex consequenti nec immunda futura esset, neq. purificationis lege obstricta. Sicut, cum dicitur in Exod. c. 21. *Si quis per industriam occiderit proximũ suum, & per insidias, ab altari meo euelles eũ, vt moriatur*: aperte sequitur dari casum, in quo non per industriã quis occidat alterũ, nec per insidias, sed neq. ab altari euellendus. Ita dicendo, Mulier si suscepto semine pepererit masculum, clarè datur intelligi, excipiendã esse mulierem illam, quæ nõ suscepto semine filium paritura erat; si enim omnes mulieres suscepto semine pariũt, quid necesse fuit illam apponere conditionẽ, addendo speciatim suscepto semine? Origenes homilia octaua in Leuiticum, Consideremus, ait, secundùm historiam, si non videtur quasi ex superfluo additum, mulier quæ conceperit semen, & pepererit masculum: quasi posit aliter masculum parere, nisi semine concepto. Sed non ex superfluo additur. Ad discretionem namque illius, quæ sine semine concepit & peperit, istum sermonem præ cæteris mulieribus legislator adiecit: vt non omnem mulierem, quæ peperisset, designaret immundam, sed eam quæ concepto semine peperisset. Quod etiam sensisse videtur D. Bernardus, qui in

ſermone 3. de purificatione beatæ Mariæ hæc ait. Putas enim quod dicturus Moyſes Mulierem, quæ peperiſſet filium, immundam eſſe, non timuerit ſuper matrem Domini blaſphemiam irrogare?& idcirco præmiſit, ſi ſuſcepto ſemine: alioquin ſi non parituram præuidiſſet ſine ſemine virginem, quæ neceſsitas erat de ſuſcepto ſemine facere mentionem? Venerabilis inſuper Beda ſuper Lucæ Euang.c.2.ſic loquitur. Si legis ipſius verba diligenter inſpexeris, profectò reperies, quod ipſa Dei genitrix, ſicut a commiſtione virili, ſic a legali iure fuit immunis. Non enim omnis mulier pariens, ſed ea quæ ſuſcepto ſemine peperit, deſignatur immunda, rituque legis docetur eſſe mundanda, ad diſtinctionem ſcilicet illius, quæ virgo concepit & peperit. Sed quia cum Hebræis eſt nobis colluctatio, qui noſtræ latinæ editioni nullam fidem habent, atq. argumentis ex ea deductis minime cõuinci volunt, nullum ex hoc loco poſſumus contra eos formare argumentum; in hebraico enim textu, quo ſolo ad eos arguendos vti debemus, myſterium hoc non apparet. Sic enim ibi habetur. אשה כי תזריע וילדה זכר וטמאה שבעת ימים hiſsà chi tazrìah veialedà zachàr ve tameà ſibhàt iamim. *Mulier ſi ſeminificauerit, & pepererit maſculũ; immunda erit ſeptem diebus*. ſenſus eſt, cum mulier

pariet:

pariet: quod exprimitur per illud *Seminificauerit*, ideſt faciet ſemen, filios videlicet, qui appellantur ſemen in ſacra Scriptura; tunc, ſi pariet maſculum, immunda erit ſeptem diebus. ſi autem fœminam peperiſſet, per plures dies immunda fuiſſet. Hoc obſeruauit & Caietanus, qui ait; Iuſta Hebræū habetur, *Mulier ſi faciet ſemen & pariet maſculum.* nihil dicitur de ſuſceptione ſeminis ſed de efficientia ſeminis. nec eſt ſermo de ſemine quod eſt principium generationis, ſed de ſemine, hoc eſt prole; ſumitur enim hic ſemen pro prole, quemadmodum in multis Scripturæ ſacræ locis. & eſt ſenſus; Mulier ſi fecerit prolē. & hoc ad differētiam mulieris ſterilis. Hæc ille. Sed veritas latinæ editionis ſemper inconcuſſa manere debet.

CAPVT VII.

Ex varijs ſacræ Scripturæ teſtimonijs Meſsias ex virgine naſciturus fuiſſe apparet.

NVnc ad alia per diuerſa loca ſcripturarum ſparſa teſtimonia deſcendentes, vt huius myſterij veritas cæcis Iudæis innoteſcat, curabimus. Ex ijs rebus id oſtenditur, quibus in ſacra pagina Meſsias in ſua conceptione, ac natiuitate ſimilis dicitur; quibus ad ipſius proprietates exprimendas

ſanctus vſus eſt ſpiritus. Aſsimilatur inprimis pluuiæ ac rori de cælo noctu cadenti, deinde germini, poſtea luci a ſole egredienti, denique ſoli naſcenti. Ex quibus, ſi recte inſpiciatur, Meſsias non communi modo, vt cæteri homines, ex virili ſemine, ſed ex ſola virgine naſciturus demonſtratur. Pluuiæ nomine intelligitur ipſe Meſſias in verbis Iſaiæ cap. 55. כאשר ירד הגשם והשלג מן השמים כן יהיה דברי Caasèr ierèd hagghèſem vehaſsèlegh min haſſamàijm chen ijhiè deuari. *Sicut deſcendit imber & nix de cælo, &c. ſic erit verbum meum,* &c. Dei verbum eſt ipſemet Meſsias, vt conſtat ex Paraphraſi chaldaica pluribus in locis, ſed præcipuè in illo Pſal. 109. *Dixit Dominus Domino meo ſede a dextris meis.* Paraphraſtes habet, *Dixit Dominus verbo ſuo ſede a dextris meis.* illum autem, quem Dauid vocat dominum ſuum, Rabbini in libro Midras tillim affirmant eſſe Meſſiam. Pluuiæ ſuper vellus deſcendenti comparatur ipſe in pſal. 72. ירד כמטר על גז Ierèd chematàr hal ghez. *deſcendet ſicut pluuia in vellus.* quem pſalmum de Meſsia intelligi, fatentur Iudęorum Rabbini. Pluuia a cælis emiſſa appellatur apud Iſaiam cap. 45. dicentem, הרעיפו שמים ממעל ושחקים יזלו צדק arhìphu ſamàijm mimmàhal, vſchachim ijzzelù tsèdech. *Stillate cæli deſuper, et*

cæli

cæli stillent iustitiam. Deinde subdit. תפתח ארץ ויפרו ישע וצדקה תצמיח יחד tiphtàch èrets veijphrù ièsah vtsdacà tatsmiach iàchad. *aperiatur terra, & fructificent salus & iustitia, quas germinare faciet simul.* Quibus verbis duæ similitudines exprimuntur, pluuiæ vna, germinis altera. Messias vocatur pluuia de cælo mirabiliter descendens, vt petit propheta dicens, *Stillate cæli desuper.* nec enim de materiali pluuia loquitur, cum subdat, *& cæli stillent iustitiam.* neque etiam de materialibus cælis sermo erit, sed de ipso Deo, qui ad iustitiam seu iustum, nimirum Messiam mittendum rogatur. Locum autem hunc de Messia intelligi clarè patet; ipse enim, est iustus & iustitia, vt apud Danielem cap. nono. & Ierem. cap. 23. appellatur יי צדקינו Adonài tsidchènu, *Deus iustus noster*, seu *iustitia nostra.* Oseæ cap. 14. vocatur nomine roris אהיה כטל לישראל יפרח כשושנה Ehiè cattàl le Israel, ijphràch cassossanà. *Ero sicut ros Israeli, florebit sicut lilium.* Chaldæus paraphrastes habet. יהי ממרי כטלא לישראל Iehè memri chetalà le Israel. *Erit verbum meum* (Messias) *sicut ros Israeli.* Ex his omnibus Messiam ex virgine nasciturum fuisse docemur Primum ex hoc quod comparatur pluuiæ: ex eo quod assimilatur pluuiæ descendenti super vellus: & ex eo

 quod

quod similis dicitur pluuæ a nubibus stillatæ & emissæ; deinde quia dicitur ros a cælo pariter descendens. Sicut enim pluuia absq. vllius hominis adminiculo, ope, consilio, studio, sed solum ex libera Dei voluntate, ac benignitate de cælo in terram profluit: sic Messias Dei filius sine hominis adiutorio, absque humani seminis ministerio concipiendus erat in vtero virginis virum non cognoscentis. Pluuia a sole producitur, nec in eius productione humanum instrumentum locum habet: ita Christi conceptio a Deo effecta est, nec in ea partem habuit homo. In libro Iob cap. 37. dicitur, *Flante Deo concrescit gelu*. aqua siue pluuia est gelu: illius causa Deus; flauit spiritus eius & gelauit aqua ista in vtero virginis sine alicuius viri opera. Et ita respondebimus ei, qui in cap. 38. ipsius Iob interrogat dicens, *Quis est pluuiæ pater?* tamquam de re magna ac mirabili loquitur, & ad interrogationem non patere responsionem existimat. quod quidem de materiali pluuia falsum est, cum eius pater, eius causa cognoscatur. Sed de pluuia, quæ Christus est, loquitur: cuius generationis quis est pater? respondemus, *Flante Deo concrescit gelu*; Deus ipse pater est, Spiritus sanctus per suum flatum de virgine eum concipi fecit, nec hominem ad hoc re-

quisiuit,

quisiuit, ne nascens inquinaretur; cum vnusquisque qui ex hominis concubitu nascitur, vt supra dictum est, peccati fæce inquinetur. Vocatur & pluuia quæ leuis est ac minima, ad differentiam imbrium, qui cum impetu ruunt; vel vt indicet Iudæis, Mesiam non futurum hominibus terrori, vt cęci expectant, sed mitem ac pacis amatorem, non belli cupidum, vt vi armorum sibi regnum acquirat; ob quam rationem dicitur etiam pluuia in vellus descendens, quæ nullum parit rumorẽ; cui assentit Isaias cap. 42. vbi ait, *Non clamabit, neq. audietur foris vox eius:* vel etiam (& hoc rationabilius) ad eius conceptionem ostendendam, quæ cum de sola virgine futura esset, dicitur ipse in eam descensurus, ac in eius vterum ingressurus tamquã pluuia, quietè & absq. strepitu super terram descendens; huiusmodi namq. pluuia terram non frangit nec lędit, sed suauiter cum ea incorporatur, eamque germinare facit, & dat semen serenti & panem comedenti, vt ait Propheta. Sic & *Isa. 55.* virgo beata dedit nobis panem de cælo verum, qui est Christus eius filius: qui cum eius vterum ingressus esset, nullam illi intulit iniuriam, nihil eius virginitas passa est detrimenti: sed virgo permansit.

Nec alia de causa nuncupatur pluuia cadens in vellus: hæc enim tam delicatè cadit,

vt nec

vt nec vellus quicquàm patiatur mali, sed integrum remaneat & illesum: in tali gradu & Messiæ mater post partum remansit, claustris pudoris integris, ac saluo suæ virginitatis flore. Pluuia de cælo veniens dicitur Christus in illis verbis, *& nubes pluant iustum*. de cælis venit, non de terra, non ex hominibus, neque ex voluntate carnis, sed ex virgine, Spiritus sancti opera genitus in terris visus est. De nubibus dicitur, quod pluere debebant iustum: non igitur pluuia materialis, neque materiales nubes, quæ nec iustum nec iustitiam pluunt: sed causa prima cælestis intelligitur, quæ in Christi conceptione absq. secundis causis hominum concurrere debebat. Dicitur postremò ros de cælo cadens. Sicut enim ros noctu descendens absque tumultu, & nullo hominum audiente, nec vidente, terram operit, & germinare eam facit: sic ipse in vterum virginis ingrediens, sine viri alicuius ope, de virgine conceptus ac natus est. Nec prætereundum est nomen germinis, quo Christus pluribus in locis appellatur. Isaias cap. 4. sic de eo loquitur, ביום ההוא יהיה צמח יי לצבי ולכבוד baijom hahù ijhiè tsèmach Adonai litsbi vlchauód. *In die illa erit germen Dei in decorem & gloriam*. Chaldæus paraphrastes habet, *Erit Messias Dei in lætitiã et gloriã*. Et cap. 11. ויצא חטרמגזע ישי ונצר יפרה

משרשיו יפרה Veiatsà chòtermigghèzah Isài, venètser missarasàu ijphrè. *Et exibit virga de trunco Isài, & ramus de radicibus eius crescet.* quem locum de Christo intelligi, fatentur omnes. & cap. 13. ויעל כיונק לפניו וכשרש מארץ ציה Vaijàhal caijonèch lephanàu, vechasòres meèrets tsijàh. *& ascendit sicut virgultum coram eo; & sicut radix de terra solitudinis.* quæ verba de Messia dicta esse, declarat Rabbi Moses Haddarsan. Ita in cap. 61. *sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat* כן אדני " יצמיח צדקה chen Adonài elohim iatsmìach tsedacà. *sic dominus Deus germinare faciet iustitiam.* Christum videlicet. Ieremias cap. 23. & 33. ואקימותי לדוד צמח צדיק Vaachimòthi le Dauid tsèmach tsaddic *& suscitabo Dauid germen iustum.* qui est Christus. Zacharias cap. 3. *Adducam seruum meum orientem.* in hebraico, עבדי צמח abdì tsèmach, *seruum meum germen.* & cap. 6. *Ecce vir oriens nomen eius.* hebraicè habetur הנה איש צמח שמו ומתחתיו יצמח hinnè his, tsèmach semò, vmittachtàu ijtsmàch. *ecce vir, germen est nomen eius, & subter se germinabit.* quæ omnia de Messia intelligi, omnibus compertum est, cum Rabbi Salomon hoc apertè fateatur. Vbi summopere animaduertendum est, Christum a Zacharia

non

non solum appellatum esse germen, sicut ab Isaia, ac Ieremia, prophetis: sed, quod magis est,& germen ipsum appellauit & hoc esse nomen eius ait, insuper & adiecit: ad maiorem huius mysterij dilucidationem, *& subter se germinabit*, ac si aperte dicat, vim & virtutem suæ conceptionis ac natiuitatis ex se ipso habebit, non ab alio viro: virtute sibi interius a Spiritu sancto collata; non extrinsecè ab homine tradita, nascetur. Dauid etiam eodem nomine ipsum vocat psal. 131. dicens, *Producam cornu Dauid*. hebraicè habetur אצמיח קרן לדוד Atsmiach chèren le Dauid *Germinare faciam cornu Dauidi*. Et Salomon Cant. 2. ait *Ego flos campi*. Ex quibus locis clarè habemus Christum ex virgine fuisse oriturum. vocatur germen ac flos propter suam pulchritudinem, de qua scriptum est psal. 44 Speciosus forma præ filijs hominum. Flos odoribus plenus. sicut de eo prædixit Isaias cap. 11. Replebit eum spiritus timoris Domini. In hebraico dicitur, והריחו ביראת יי Vaarichò beijrath Adonài, *& odorari faciet eum in timore Domini*. Germen dicitur, ex eo, quod sicut sæpe conculcatur, semper tamen erigitur, atq; germinat: ita & Christus in passione verberibus, plagis, ac morte percussus, iterum caput extulit ac reuixit. At potiori iure germen nuncupatur propter suam

suam admirabilem conceptionem ac natiuitatem, quæ ex muliere sine viro futura erat, de immaculata virgine nascens: eo modo quo germen pullulat nullis humanis adminiculis suffultum. Et propterea de terra sitienti dicitur radix exurgens, de terra arida, quæ non est humano semine madefacta, radix illa (idest Messias) quo nomine appellatur ab Isaia cap. 11. producenda erat Atque quemadmodum germen sine terræ lesione oritur: ita Christus sine maternæ virginitatis detrimento nasciturus erat.

Quatuor adhuc valdè digna circa huiusmodi germen seu plantam consideranda sunt, quæ huius virginei admirabilis partus veritatem manifestant. Primum est, quod hæc planta soli Deo attribuitur producta, non homini, aut alij creaturæ. Secundum, huius plantæ productio vt res mirabilis ac insolens describitur. Tertiũ, de terra arida producenda erat. Quartum, quod non flos horti, sed agri, & conuallis appellatur. Primũ patet Ier. c. 23. vbi Deus ait אצמיח לדוד צמח צדיק Atsmiach le Dauid tsèmach tsaddic, *Germinare faciam Dauidi germen iustum.* Vnde sic formatur argumentum. Productio huius plantæ seu germinis tribuitur Deo, non igitur homo eam producturus erat: ergo Messias, qui huius plantæ nomine intelligitur, non humano semine nasciturus erat.

Et *Isaia cap. 28.* Germẽ Dñi.

Confir-

Confirmatur ex veterũ Rabbinorum verbis in libro *Midras tillim*, ſuper illud Ego hodie genui te, quæ ſunt וכד תיתי שעתיה אמר הקב״ה עלי לבראתו בריה חדשה. וכן הוא אמר אני היום ילדתיך. Et *cum venerit hora eius* (ideſt Meſsiæ) *dicet Deus ſanctus ac benedictus, Meum eſt ipſum creare nouam creaturam.* Ex quibus verbis duo deducimus argumenta. Primum, Ad Deum ſpectat huiuſmodi generatio: ergo non ad hominem, nec hominis virtus requiritur. Secundum, Ex eo quod Deus dicit, ſe creaturum Meſsiam nouam creaturam, habemus eum non communi modo vt cæteri homines, qui ex maris ac fœminæ coniunctione naſcuntur: ſed nouo modo in lucem venturum. qui alius quàm ex virgine eſſe non poteſt. Ita apud Iſaiam cap. 45. de quo ſupra diximus, poſtquam ait, A*periatur terra, & germinet ſaluatorem*, ſubdit, E*go Dominus creaui eum.* Vbi notandum eſt verbum creare: quod eſt nullo præexiſtente aliquid producere, ſed immediatè ab ipſo Deo emanare. quod etiam habetur ex præallegata Rabbinorum auctoritate. Cum igitur Meſsiæ productio ſeu creatio ipſi Deo inueniatur aſcripta, ſatis clarè colligere poſſumus, eum ſaltem non ex humano ſemine fuiſſe oriturum.

Deinde apparet hæc veritas, ex eo quod hoc germen, siue planta, siue flos, vt res admirabilis annunciatur. In Psalmo 67. animaduertendus est maximus verborum apparatus ad lætitiam & admirationem inducens. *Confiteantur*, inquit, *tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes; latentur & exultent gentes, &c.* quare hoc? quia *terra dedit fructum suum.* Neque ait, terra reddidit fructum suum, sed dedit, ad ostendendum Messiæ matrem quæ arida terra appellatur ab Isaia cap. 53. non ideo peperisse filium suum, quasi reddidisset ipsi, a quo virtutem concipiendi acceperat: sed inquit, ipsam dedisse, ad innuendum, eam nihil ab homine accepisse, vt germen hoc & florem ac fructum proferre potuisset: sed per semetipsam, sola Spiritus sancti virtute & gratia super eam superueniente, concepit ac peperit. Ecce de quo confiteri debebant populi Deo: atq. lætantes & exultantes ipsum laudare ac benedicere, non quia terra materialis, quam pedibus calcamus, maiorem fructum allatura esset tempore Messiæ, vt somniat Rabbi Dauid Chimchi, ac cæteri Iudæorum expositores, hoc enim vanissimum est: sed quia terra, virgo scilicet beata dedit fructum suum, peperit filium suum. Ex quo infertur eam mirabiliter peperisse: non enim admiratio & exultatio locum habet,

cum

cum quis communi omnium modo ad lucem venit. Neque dubitandum est hunc verum esse huius psalmi intellectum; de Messia enim ipsum exponi debere, auctoritate Rabbinorum patet, qui in libro *Midras tillim* super psalmum 24. docent, psalmos, in quibus pro inscriptione habetur hæc dictio בנגינות *binghinòth*. idest, *in canticis*, de Messia interpretandos esse. psalmus autem hic 67. habet hanc vocem pro titulo & inscriptione: vnde & de Christo exponendus est. De eodem loquitur in psalmo 84. vbi postquam dixit, terram fuisse a Deo benedictam, addidit, *Terra nostra dabit fructum suum.* Neque potest esse sermo de materiali terra, nec de materiali fructu: nam superius dixerat, *Veritas de terra orta est*. ecce iste est fructus, veritas, Christus qui est veritas: non igitur terra materialis erit, quia hæc veritatem non parit. Sed terra cui Deus benedixit, in qua sibi complacuit, virgo benedicta est, Christi mater, Quæ cum accepisset benedictionem a Domino, absque alio hominis opificio, Deum nobis protulit & hominem. psalmi autem istius sensum de Messia esse, Rabbi Abraam Aben Ezra testatur.

Postea huius floris ac germinis productio arenti terræ tribuitur. Isaiæ cap. 53. *Et ascendet sicut virgultum, & sicut radix*

de terra

de terra sitienti. Quibus verbis duo continentur: primum quod Messias appellatur germen seu virgultum. secundum, quod eius mater terra sitiens & arida dicitur; virgo nimirum, quæ virum non cognouit: & filius eius germen non hominum manibus satum, sed cœli beneficio natum. Quod verò hæc Isaiæ verba de Messia intelligenda sint, immò & totum caput quinquagesimam tertium, latè ostendimus in nostro de Christi passione ac morte libello. patet etiam per veteres Rabbinos in libro *Sanhedrin* cap: *chèlec*, & in *Ialcut* super psalmum secundum. Quarto loco nuncupatur Messias flos campi, & lilium conuallium, vt est in Canticis cap. 2. lilium vallium dicitur, eo quod gentes, quæ vallium nomine intelliguntur, per eum saluandæ erant, vt per non pauca scripturarum loca patet; ideo cum gentes, magis quàm Hebręi qui ipsum negaturi erant, ac reuera ita fecerunt, redemptionis effectus participes fuerint, liliũ vallium appellatur; flos verò campi, vt ostenderet se vniuersalem omnium saluatorem, non vnius populi tantùm, vt Iudæi delirantes affirmant: sicut flos campi omnibus patet transeuntibus; non sic autem flos horti, qui domino suo custoditur. At multò aptius flos ac lilium campi nominatur, quia nascitur licet non seratur, & ex inculta

oritur terra, sic & Christus ex matre non culta, a viro non cognita natus est.

Ex nominibus quoq. lucis & auroræ, quibus Messias vocatur, hæc veritas illustratur. Dicitur lux, Isaiæ cap. 60. כי בא אורך Chi bà orèch. *quia venit lumen tuum.* & clariùs cap. 62. עד יצא כנגה צדקה had ietsè channoghàh tsidcà. *donec egrediatur vt splendor iustitia eius.* idest Messias eius. Oseas c. 6. nomine auroræ ipsum vocat dicens כשחר נכון מוצאו chesàchar nachòn motsaò. *quasi aurora præparatus est egressus eius* Aurora in conceptione, sol in natiuitate Christus, de cuius aduentu clarè loquitur: vt pater per id quod supra dixit ביום השלישי יקמנו ונחיה לפניו baijom hasselisì iechemènu, venichiè lephanàu. *In die tertio suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius.* Dies tertius fuit tempus aduentus Christi: quem præcesserunt duo alij dies, duo alia tempora, naturæ nimirum, & legis Mosaicæ, quibus viuificati non fuimus; fuerunt enim præcepta non bona, vt ipsemet Dominus ait, & iudicia in quibus non viuebāt;
Ezech. c. 20. hoc autem spectabat ad tempus gratiæ: ad diem tertium, in quo viuificati ab operibus mortuis Deum sciemus, sequemurq. vt cognoscamus Dominū, ait Propheta. Sed quo pacto probatur ex hoc, debuisse Christum ex virgine nasci? Ecce, similitudo solis & au-

rore

roræ hoc declarat. Sicut enim aurora & sol sine humana opera, absque alicuius creaturæ viribus oriuntur & apparent: sic Christus nullo humano auxilio nascitur. Sol absque corruptione oritur, pulcher & lucidus apparet: ita redemptorem hominum sine vlla peccati macula apparere necesse fuit, vt aliorum maculas ablueret; quod vt fieret, eum de virgine nasci oportuit: cum omnes qui ex communi muliere in hanc lucem egrediuntur, maculati sint.

CAPVT VIII.

Ex psalmo 109. idem docetur.

NVnc ad particularia, ac illustriora scripturarum testimonia descendentes, obuiam in primis habemus psalmũ 109. ex quo duo nobis vtilissima ad nostram veritatem tuendam eliciuntur. Primum ex illis verbis, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex syon.* alterum ex ijs, *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te.* intellectis tamen & explanatis iuxta sensum verborum, quæ in hebraico contextu habentur. Ipsimet Rabbini aperiunt nobis

ianuam ad hanc veritatem indagandam, atq; inuen endam: non enim ex illis, *Virgam virtutis tuæ emittet &c.* locum argumenti mihi fecissem, nisi ad hoc illorum expositio traxisset. In libro *Talcut*, cum huius virgæ expositionem Rabbini tradere velint, eam esse virgam aiunt, de qua in libro Genesis cap. 38. fit sermo, quam manu tenebat Iudas filius Iacob, & nurui suæ Tamar pro arrabone dedit; eandem, qua Moyses mirabilia magna fecit in Aegypto ac in deserto; eandem, quæ germinauit, floruit, ac fructum protulit. Hæc eorum sunt verba מטה עוזך ישלח יי מציון איזה מטה זה מטה שהיה ביד יהודה ומטה אשר בידך והוא המטה שהיה ביד משה ומטה האלהים בידי והוא המטה שהיה ביד אהרון וישלח אהרון את מטהו Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: *Quæ virga est hæc? hæc est virga, quæ erat in manu Iu-*
Gen. 38. *dæ: sicut scriptum est*, Et virga, quæ est in manu tua. *Et ipsa est virga quæ fuit in*
Exod. 17. *manu Moysis, sicut dicitur*, Et virga Dei in manu mea. *Et hæc est virga quæ fuit in*
Exod. 7. *manu Aaron, prout scriptum est*, Et proiecit Aaron virgam suam. Iidem deinde exponentes cap. 38. Gen. in ea verba, *Ecce virga, quæ est in manu tua*, dicunt, *Hic est rex Messias, de quo scriptum est, Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon.*

Ex

Ex hac Rabbinorum explanatione, locus argumenti nobis datur hoc pacto. Virga, de qua loquitur pſalmus quem citauimus, eſt illa de qua loquitur caput 38. Geneſis: hæc autem eſt rex Meſſias: ergo & illa eſt idem Meſſias. Illa autem, vt ipſi aiunt, ea fuit, quam manu geſtauit Aaron, quæ frondult ac floruit, nullam habens radicem neque humorem, ſed arida omnino prius exiſtens fructus produxit; Ita Meſſias abſque humani ſeminis humore florere debebat; neque hoc à Iudæis tanquam inconueniens habendum eſt, ſed pro certo tenendum.

Alterum verò, & clarius & fortius, in eo quod ait, *Tecum principiū in die virtutis tuæ*. Quo verſiculo cum non nihil contineatur obſcuritatis, tria ordinatim videnda ſunt, primùm diſſonantia textus hebraici ab editione vulgata, ac ſeptuaginta Interpretum tranſlatione; deinde Rabbinorum tam veræ quàm falſæ expoſitiones: illas, vt ſequamur, has vt reiiciamus; poſtea verum afferamus verborum intellectum, ac veritatem propoſitam clarificemus. Quò ad primum; valdè reuerá noſtra editio ab originali hebraico textu diſcrepat, qui ſic habet עמך נדבות ביום חילך בהדרי קדש מרחם משחר לך טל ילדותך Hammechà nedauòch beiòm chelèchà, behadrè co-

des, merèchem mischar lechà tal ialduthècha. *Populus tuus spontaneus in die exercitus tui, in decoribus sanctitatis, ex matrice auroræ tibi ros pueritiæ tuæ.* Huius autem diuersitatis rationem adducere, non est præsentis negocij; nisi velimus dicere, septuaginta interpretes fortasse sensum attendisse, non verba: & magis diuinam Christi generationem voluisse detegere, quàm humanam, quæ in hebraico textu magis elucet; eius præsertim nascendi modus, minimum ex virgine, vt patebit. Vel etiam, quia cum hebraicè habeatur עמך hammechà, *populus tuus*, ipsi variatis punctis legerunt עמך himmechà, idest, *tecum*. & sic in fine pro eo quod legitur ילדותך ialduthècha, *pueritiæ tuæ*, legerunt ילדתיך ielidticha, *genui te*. At vtramque lectionem sequentes, dicimus ex nostra hunc haberi sensum. *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Propriè & verè principium, quod est principium sine principio, ad differentiam principij de principio, quod est filius in diuinis, est ipse pater, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur. loquendo igitur cũ Messia Dei filio, dicitur illi, Principium tecum est, eiusdẽ est substantiæ tecum tu es Deus vt ipse, illi coæternus, & coæqualis. In die virtutis tuæ in die natiuitatis tuæ ex patre, quæ appellatur virtus, vt discrimen inter

inter ipsam, & natiuitatem temporalem ostendatur: cum filius perfectissimus sit in omnibus, patrique æqualis. In splendoribus sanctorum ait pater, supra omnium sanctorum excellentiam, ex vtero, de mea ipsa substantia, ante luciferum, atque ante omnes creaturas genui te. quia est ex patre natus ante omnia sæcula. Vel sic. In die virtutis tuæ; in die qua virtutem tuam ostendes, magna & mirabilia operando; quod fuit in die passionis & resurrectionis suæ, expolians principatus ac potestates, de hostibus victor triumphans: tunc tecum erit principium, tecum erit Deus ipse adiuuans & protegens. Hic potest esse sensus verborum nostræ vulgatæ editionis. At nos, qui cum Hebræis loquimur, vel contra Hebræos, siue potius pro ipsis, vt resipiscant a diaboli laqueis, & agnita veritate, complectantur Christum quem oderunt: viam hanc relinquentes, hebraici textus sensum verborum sequendo explanabimus. Ex quibus benè inspectis, luce clariorem nostræ propositæ veritatis probationem habebimus.

Sed prius varias Rabbinorum expositiones expendere debemus, vt espeditiores simus ad verum sensum propalandum. Visis enim eorum absurditatibus ac deliramen-

tis, eò magis nostra apparebit germana expositio, ac fortioribus firmabitur rationibus. Qua in re Iudæorum inscitiam mirari licet: vt cum tot sint eorum expositores, nullus in hoc versiculo explanando cum altero concordet: sed quot homines tot sententiæ, eæque absurdæ ac falsæ. Vnus Rabbi Abraham Aben Ezra quatuor diuersissimas ac remotissimas refert expositiones, quarum nulla ad rem facit: &, quod peius est, nec de quo sit sermo indicare valent; quod illorum ignorantiæ maximum est argumentum. Veteres Rabbini, & ex modernis Rabbi Salomon, psalmum & consequenter verba quæ proposuimus, de Abraham intelligi debere affirmant. Cum verò ad verborum dilucidationem accedunt, dissentit Rabbi Salomon à veteribus: qui ita versiculum explanant. עמך נדבות ביום חילך מדבר באברהם עמך הייתי ביום שנדבת לשמי לירד לכבשן האש ביום חילך ביום שכנסת כל אותן האכלוסין. בהדרי קדש בהדרי של עולם הקדשתיך. מרחם משחר מרחמו של עולם שחרתיך. לך טל ילדותך לפי שהיה אברהם אבינו מתפחד ואמר שיש בידי עון שהייתי עובד עבודת אלילים כל השנים הללו. אמר לו הקבה לך טל ילדותך מה הטל הזה נורח אף עונותיך פורחין מה הטל הזה סימן ברכה לעולם אף אתה סימן ברכה לעולם Populus tuus

tuus voluntarius in die fortitudinis tuæ. *Loquitur de Abraham.* T*ecum fui* (dicit Deus) *in die, qua ſponte te obtuliſti propter nomen meum, vt deſcenderes in fornacem ignis.* In die fortitudinis tuæ, *ſeu* exercitus tui. *Ideſt quando coadunaſti cohortes illas.* In decoribus ſanctitatis. *in decoribus ſeculi ſanctificaui te.* de matrice auroræ. *de matrice ſeculi præueni te.* tibi ros pueritiæ tuæ. *Quia Abraham pater noſter timebat, dicens, forſan eſt in me iniquitas, eo quod idololatriæ operam dederim omnes annos illos.* *Dixit illi Deus.* Tibi ros puritiæ tuæ. *Sicut ros iſte floret, ita peccata tua florent. ſicut ros iſte ſignum eſt benedictionis, ſic tu quoque ſignum benedictionis eris mundo.* Hæc eſt veterum Rabbinorum inſulſa expoſitio.

At Rabbi Salomon, licet concordet cum veteribus quò ad perſonam de qua pſalmum intelligi volunt: aliter tamen verba propoſita exponit, dicens, עמך נדבות ביום חילך. כשתאסוף חיל לרדוף אחריהם יתנרבו עמך ואוהביך לצאת עמך כמו שמצינו וירק את חנכיו ילידי ביתו. בהדרי קדש מרחם משחר זאת תהיה לך בזכות הדרות קדושה שהיו בך מבטן אמך שהכיר בוראו בן שלש שנים. מרחם משחר משנפלת מן הרחם לך טל ילדותך לך יחשב ילדותיך

ילדותיך דרכי יושר שהתנהגת בהם: בילדותך יהי לך לנועם כטל זה שהוא נעים ונוה

Populus tuus &c. *Quando coges exercitum ad persequendum illos* (ideſt Reges, de quibus ſcriptum eſt cap. 14. Geneſis) *ſponte ſe offeret populus tuus ac amici tui ad proficiſcendum tecum; ſicut ſcriptum inuenimus.*
Gen. 14 *Et armauit pueros ſuos, alumnos domus ſuæ.* In decoribus ſanctitatis. *hoc tibi eueniet merito excellentis ſanctitatis, quæ fuit in te ab vtero matris tuæ. Cognouit enim Abraham creatorem ſuum, cum trium annorum ætatis eſſet.* de matrice auroræ. *ex quo egreſſus es ex vtero matris tuæ.* tibi ros infantiæ tuæ: *tibi imputabitur infantia ſicut ros. hoc eſt, opera quæ puer agebas, erunt tibi in decorem et pulchritudinem tamquam pulcherrimus ros.* Hæc Rabbi Salomon. Duæ iſtæ expoſitiones apertè inter ſe pugnant, & ad inuicem ſe deſtruunt. Habet prima, Abraham de diuina miſericordia dubitaſſe, propter grauia peccata, in idololatria, in qua multos annos demerſus iacuerat, perpetrata. Altera verò, cum puer trium annorum eſſet, Deum cognouiſſe: & quod magis eſt, ab vtero matris ſanctum exiuiſſe affirmat. Fortiſſimum profectò argumentum ad eos inſcitia & cæcitate a Deo percuſſos oſtendendum. falſo enim iacto funda-

fundamento nihil solidi & constantis ædificij consurgere potest.

Nec minus a veritate elongantur cæteri non minoris apud illos existimationis doctores, qui de Dauid rege dicunt psalmum esse exponendum; ita vt auctor psalmi non sit ipse Dauid, sed vnus ex cantoribus, qui psalmos corâm Domino canebant, Dei verba Dauidi dicta referens, quæ sunt, *Dixit Dominus domino meo* Dauidi: *Sede a dextris meis*. At quamuis in hoc, vt de Dauide sit sermo, conueniant; non tamen in singulis versibus exponendis vna est eorum sententia. Rabbi Dauid Chimchi in libro שרשים *sarasim*, in dictione רחם *rachâm*, sic ait מרחם משחר פי' יום שנולדת ושיצאת מרחם אותו שחר טל ילדותיך הטל שירד אותו השחר לך היה כלומר טוב היה לך De vulua auroræ: *Idest illo die quo natus es, & ex vtero matris egressus, illo mane ros pueritiæ tuæ. ros qui eo mane cecidit, tibi fuit; hoc est, bonus pro te fuit.* Ac si dicat, ros benedictionis in aurora illius diei tibi cecidit: cum tunc natus, ad regnum fueris prædestinatus.

Rabbi Abraham Aben Ezræ expositiones quas diximus superius, quatuor esse: quæ de Dauide verba psalmi intelligenda esse affirmant, hæ sunt. Prima sic ait. אמר ר' משה וגו' ישבח דוד ודימה הליה שהיא בגוף כטל והטעם

כי

מי לא נס לחה במלחמות רבות שנלחם לך נשאר לח ילדותך Dixit Rabbi *Moses &c.* *Laudat* Dauidem, *assimilans virorem corporis eius rori: & sensus est, quod non fugit vnquàm viror eius propter multa bella quæ bellauit; sed tibi (inquit) remansit viror tuæ pueritiæ.* Ita aiebat iste Rabbi Moses, qui putabat scripturam hoc in loco nihil aliud voluisse, nisi pulcritudinem Dauidis notam facere. A vulua, ab aurora pro eodem accipiens, hoc est à principio natiuitatis tuæ vsque nunc ostendisti semper pulcritudinem ac virorem corporis: & quamuis multa pertuleris incommoda bellando, tamen nunc est tibi ros pueritiæ tuæ: idest eundem retines virorem ac decorem, quem in pueritia habuisti. Stulta expositio. Me piget profectò huiusmodi ineptias referre: sed ad Rabbinorum crassitiem ostendendam, vt omnes vedeant quanti faciendi sint Iudæorum doctores, qua maiori possum breuitate, in medium afferam. Secunda expositio. ואחרים אמרו מהמקום השפל השחור לך מנת ילדותך ופירוש טל כמו יוטל את הגורל *Alij dixerunt. Ab humili ac obscuro loco tibi pars natiuitatis tuæ, & expositio huius vocis* טל *est sicut* יוטל *idest proiectus.* Huius expositionis vis est, quod vocem illam משחר *mischar* quæ interpretatur vulua siue vterus, explicat iste pro obscuro, ita

vt

vt diriuetur à שחור *sachor* nigro. Et vox טל *tal*, quæ rorem significat, deducitur, iuxtà eum, à verbo נטל *natal* proijcere, vt habetur in Prouerb. caput 16. *In sinu proÿcitur sors.* Ait ergo: Tu Dauid obscuro loco natus es: de obscura vulua proiecta est natiuitas tua. Quæ doctrina quantum ad rem faciat in ordine ad præcedentia & subsequentia psalmi, nemo non videt. Vocum autem explanatio, omninò violenta est.

Tertia expositio. ור ישועה אמר כי מרחם אמך היית מוכן לחיות מלך Rabbi *Iesubà dixit. Quod de ventre matris tuæ prædestinatus fuisti, vt esses rex.* Ac si dicat, Cum ex vtero matris egressus es, rex futurus annunciatus fuisti: sicut ab occursu auroræ cognoscitur qualis sit dies futurus. Hoc autem vanissimum est. Si enim loquitur de prædestinatione in mente diuina, verum dicit, sed nihil ad rem: non enim solus Dauid fuit sic ad regnum prædestinatus, sed etiam omnes qui regnarunt. Si autem loquitur de signis in eius ortu ostensis, mentitur.

Postremò suam ipsius explanationē affert Rabbi Abrahā dicēs. והטעם אם הצרכת לעשות מלחמה עמך יבואו אליך ביום כגשם נדבות ותראם בהררי קדש מרחם משחר מעת עלות השחר יבוא כטל שהרגלת לראות בילדותך כאשר היית רועה צאן

Sensus

Sensus est. Si facere bellum necesse tibi fuerit, populus tuus veluti pluuia voluntaria ad te veniet: & videbis eos in decoribus sanctitatis. de vulua auroræ. *eo tempore quo aurora ascendit, idest, summo mane veniet, ad instar roris, quem videre solebas in tua pueritia, cum oues pasceres.*

Quæ expositio inepta est, ac penitùs indigna. Ad quid enim Scriptura sacra volens ostendere promptitudinem militum Dauidis in pergendo ad bellum, vt iste fingit, tot similitudinibus vteretur? non ne sufficiebat dicere, mane diluculo venient? aut in aurora? cur addidit, ab vtero? cur ab vtero auroræ? quis est iste auroræ vterus? Deinde cum in textu dicatur, *Tibi ros pueritiæ tuæ*: quid significat pronomen, *tibi*? quo nam pacto poterit huic explanationi accommodari? Respiciant hebræi quid eorum magistri confingant, & comminiscantur: & quomodo Deus excæcauit illos, vt in meridie veluti cæci palpent, quemadmodum olim minatus fuerat Moyses in aliorum peccatorum pœnam.

Quod autem ita sit, vt sicut veterum, sic & iuniorum Rabbinorum interpretationes falsę ac peruersæ sint, ex hoc maximè patet, quod psalmus hic Abrahamo conuenire minime potest. Quid enim sibi vult illud,

Dixit

Dixit Dominus domino meo sede a dextris meis? nunquid Abraham a dextris Dei sedit vnquam, aut sessurus erit? nunquid Abraham æqualis erit Deo, & similis altissimo? ad cuius dexteram sedere est illi æquiparari: quod neque de Abrahamo, neque de Dauide, nec de creatura vlla verè dici potest. Quid igitur sibi vult; Abraham a dextris Dei sedere? dicant nunc Iudæi, cum sedere in dextera alicuius, sit illi æqualem aut etiam superiorem fieri. Postea verba illa, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex syon*, quomodo de Abraham dicuntur, cum tunc temporis syon in terra non extiterit. Quæ ratio tam fortis est, vt ob hanc Rabbi Abraham Aben Ezra psalmum de Abrahamo intelligendum esse neget, ac propterea de Dauide exponendum esse censeat. At hic error est peior priore: quod clarè patet, & probatur magis. Si Abraham in dextera Dei sedere, absurdum est & falsum, multò magis hoc de Dauide, qui Abrahamo minor fuit, dicendum erit. Vlterius qua ratione de Dauide dicetur, *Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech*? & illud, *Iudicabit in nationibus &c.* Hæc responsionem non habent. Sed & alia ratio fortior est: quia hæc expositio fundatur in hoc, quod psalmus iste non sit Dauidis tamquam authoris, sed vnius

ex

ex cantoribus, qui dixit canendo, Dauidem à Deo vocatum fuisse ad secum in dextera sedendum. At hoc fundamentum ruit; quia psalmi omnes sunt Dauidis, sicut testantur Rabbini in lib. *Ialcut* super psalmum 72. & Rabbi Dauid Chimchi in prologo super psalmos; Quod si verum est, quis vnquam ambigit asserere, ipsum Dauidem de se loquentem dixisse se dominum suum à Deo inuitatum ad sedendum in eius dextera?

Dimissis igitur vanis istorum hominum doctrinis, seu potius nugis ac deliramentis; tanquam certum docendum est, psalmum hunc de messia continere sermonem, eumque qualis futurus esset, nobis ostendere. Quod tandem negare non valuerunt veteres Rabbini, qui in libro *Midras tillim* habent hæc verba. לעתיד לבא הקבה מושיב מלך המשיח לימינו שנאמר נאם יי לאדני שב לימיני. *In futuro seculo Deus sanctus ac benedictus sedere facit regem* Messiam *in dextera sua: sicut scriptum est*. Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis. Et apertius hoc habetur ex Rabbi Isaac Arama, qui in sua super Genesim c.47. expositione ait. לא מצינו אדם ונביא שיתנבא ילידתו קודם לידת אביו ואמו כי אם משיח צדקנו ולזה רמז מרחם משחר לך טל ילדותך קדם שיברא רחם יולדתך נתנבא ילידתך ולזה רמז לפני שמש ינון שמו כי אפילו קודם בריאת השמש

השמש היה חוק וקיים שמו של משיחנו והיה יושב
לימיני שב שאמר הוא וזה האל בימין *Non inue-
nimus aliquem, nec etiam prophetam, de quo
prophetata sit natiuitas ante natiuitatem
parentum, nisi Messiam iustum nostrum.
Et hoc innuitur in illo versiculo,* A vulua
auroræ tibi ros natiuitatis tuæ. *Quod est
ac si dicat, antequam crearetur vulua geni-
tricis tuæ prophetata fuit natiuitas tua. Huic
conuenit etiam illud,* Ante solem filius no- *Psal. 72.*
men eius. *quod significat, antequam crea-
retur sol, firmum ac subsistens erat nomen
Messiæ, & sedebat à dextris* Dei. *& hoc
est quod dicitur,* sede in dextera mea. Hæc
omnia Rabbinus iste.

Cum ergo de Messia in hoc psalmo fiat sermo, videamus quomodo eius de virgine ortus describatur. Sic ait psaltes: *De matrice auroræ,* seu *à vulua auroræ tibi ros natiuitatis tuæ.* Hoc est, Tua ò Christe natiuitas, quæ rori de cœlo cadenti assimilatur, veluti aurora erit, & instar auroræ nascèris. sicut igitur ortus auroræ splendidus est, ac sine tenebris vllis, aut maculis: sic & tua natiuitas erit, atq. à vulua auroræ, hoc est ab vtero lucenti, candenti, & puro orièris: à vulua homini incognita egredièris; mater tua virum omninò nesciens, virgo permanens ac perpetua in lucem te dabit; nec communi aliorum hominum more in mundum

venies: sed per virginem matrem, absque vllo peccati contagio: ad nos à peccato redimendos profic.scèris. Expositio hæc deducitur ex eo loquendi modo, quo dicitur, Morte Abelis iste m.orietur. idest morte violenta, qua mortuus est Abel. ita ortu auroræ orietur Messias; hoc est absque vlla matris corruptione.

Vel sic. מרחם משחר merèchem mischàr, à vulua luminosa: ita vt vox משחר mischàr sit veluti participium significans splendidum ac lum.nosum. oppositum eius quod asserebant authores secundæ expositionis, quam refert Rabbi Abraham Aben Ezra, docentes, eam à nomine שחור sachòr, quæ nigrum significat; deriuari: vnde vuluam obscuram interpretabantur. Nos verò firmiori fundamento adhærentes deducimus eam à voce שחר sàchar, quæ est aurora; eritque sensus. A vulua splendida, lucente, ac pura erit tibi ros natiuitatis tuæ: à vulua purissima, intacta, orièris. Hujus nominis formæ sunt מזרח mizrach, illuminatus, מבצר mibtsar, fortis. Habemus igitur Messiam ex virgine nasciturum fuisse prophetatum. si enim vt cæteri homines ex coitu oriturus fuisset; nulla esset ratio, quare eius ortus à lucidissima vulua diceretur.

CAP-

CAPVT IX.

Ex libro Canticorum Salomonis ostenditur, ex virgine Messiam nasciturum fuisse.

POstquam loquutus est pater, audiamus & filium: post Dauidis testimonium, Salomonis verba expendamus: qui sub figura & velamine coronæ de Christi matris virginitate mysterium reserauit. Sic enim cap. 3. cantici sui ait צאנה וראינה בנות ציון במלך שלמה בעטרה שעטרה לו אמו ביום חתנתו וביום שמחת לבו Tséèna vrèna benòth tsijòn bammèlech Selomò bahatarà schitterà lo immò beiòm chathûnathò, vbiòm simchâth libbò. *Egredimini, & videte filiæ syon regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius.* Quibus verbis de virginis partu sermonem haberi ostendemus: si prius tanquam certum habeatur, in hoc lib. Canticorum multa de Christo contineri mysteria: Quod non solum ex Chaldaica paraphrasi habetur: sed & Rabbi Salomon, & Rabbi Abraham Auen Ezra apertè fatentur. Quo supposito, huius mysterij probatio facilis erit. Ad cuius euidentiam notandum primò occurrit, quòd licet ex mi-

stico scripturarum sensu argumentum sumi non possit ad aduersarios conuincendos: hoc tamen in libro canticorum asserendum non est, in quo etiam a sensu allegorico argumentum formari potest: qui tamen non misticus, sed reuera literalis dicendus est, & proprius; in hoc enim volumine non distinguitur misticus à literali sensu, sicut in cæteris scripturæ libris accidit; in quibus aliud in cortice literæ, aliud in medulla continetur: sed in his canticis nihil est in corticee animaduertendum, cum ea quæ extrinsecè sonant, absurda appareant: sed tantum quod sub exteriori sono latent sunt accipienda, & ea tamquam literaliter intellecta habenda sunt. Patet hoc ex primis verbis, *Osculetur me osculo oris sui*. in quibus certum est apud eos qui non desipiunt, non debere nomine osculi carnalem tactum accipi, sed id, quod nomine osculi intelligitur. & hic sẽsus, licet spritualis & misticus appareat, est tamen omninò literalis, quippe qui ab authore intentus. ac de toto libro idem dicendum est, cum semper sub metaphoris ac similitudinibus procedat. Adnotauit hoc Rabbi Salomon tamquam primum documentum in hoc libro exponendo, adducens illud psalmi 62. אחת דבר אלהים שתים זו שמעתי Achàth dibbèr Elohim, settàijm zu samàhti. *Vnum loquutus est Deus: duo hæc audiui*.

audiui. Vnum dicit scriptura in canticis, at duo sunt intelligenda: vnum secundùm grammaticæ corticem, alterum iuxtà verum literalem sensum; qui est ille qui misticus apparet:sed non est, nisi literalis. Rabbi etiam Abraham ait חלילהחלילה *Absit, absit*, vt liber hic secundùm extrinsecum verborum sensum exponatur. Cum ergo ad verborum propositorum expositionem accedentes, nomine diadematis nō materialem coronam intellexerimus, sed carnem, qua Christus à matre sua coronatus ac circundatus est: nemo putet hunc misticum sensum; sed verum, literalem, ac proprium dicendum esse pro certo habeatur.

Alterum adhùc animaduertendum est, nomine Salomonis, qui in his canticis nominatur, non esse accipiendum Salomonem filium Dauidis regis Israel, qui hunc librum scripsit; ita vt sensus sit, vt exeant filiæ Syon ad videndum Salomonem ipsum à matre sua coronatum; sed Rex, ad quem videndum inuitantur fideles animæ, quæ filiæ syon appellantur, est Messias rex regum, quem mater carnis sua corona circundedit & induit, nullo viri adiumento, seu ministerio. qui vocatur Salomon, vt patet in psal. 71. cuius titulus est, *Salomonis*, seu *Salomoni*; ita vt siue loquatur de Salomone, siue Salomoni tanquam eius gesta narrans sit dicatus: ta-

men de Christo non de Salomone loquitur, vt intuenti patet; & ex Rabbinorum testimonio.

Totum hoc notatum est contra id quod ex Chaldaica paraphrasi habetur; quæ nescio qua ratione hæc verba de ipso Salomone Dauidis filio interpretatur, dicens. כד
אתא שלמה מלכא למעבד ית חנוכת בית מוקדשא
כרוזא נפק בחיל וכן אמר פוקו וחזו יתבי פלכיא ארעא
דישראל ועמא דציון כתגא דכלילא דכלילו עמא בית
ישראל ית מלכא שלמה ביום חנוכת בית מוקדשא
Hoc est, *Quando venit Salomon rex ad faciendam dedicationem domus sanctuarij, praco praibat cum clamore, dicens,* Exite, *& videte habitatores prouinciarũ terra Israel, & populus Syon coronam, qua coronauit eum populus Israel regem* Salomonem *in die dedicationis templi.* Quæ doctrina veritatem habere non potest: eò quod matrem Salomonis esse populum Iudæorum nullo fundamento innititur, nec aliqua ratione demonstrabile est. Deinde ex hac expositione sequitur, eandem personam esse matrem, quæ Salomonem coronasse dicitur, & filias Syon quæ ad ipsum coronatum videndum inuitantur; quod est absurdum. Si enim mater à qua diademate coronatur, est populus Syon, qui coronauit eum in die dedicationis templi, vt ait paraphrasis; qui nam erunt ij, qui ad eum coronatum intuendum vocati

sunt?

sunt? certe non sunt alij, nisi filiæ Syon, populus ipse, qui coronauit eum. hoc autem incongruè dictum videtur. Vlterius, vocat coronam clamorem illum populi, quo Salomonem ad templum proficescentem comitabantur. quæ est impropria locutio.

His additur id, quod ex veteribus Rabbinis habetur; qui licet Paraphrastis interpretationem legisse iudicandi sint: eam tamen amplecti noluerunt, vt pote à veritate alienam. In libro *Ialcut* veram tradentes huius loci intelligentiam, de Deo, non autem de Salomone interpretantur. Eorum verba sunt. חזרנו על כל המקרא ולא מצינו שעשתה בת שבע עטרה לשלמה בנה ר׳ שמעון בן יוחאי שאל לרבי ישמעאל אפשר ששמעת מאביך מהו בעטרה שעטרה לו אמו אמר לו כך אבא לך משל למלך שהיתה לו בת יחידה וכו׳

Idest, *Perlegimus totam scripturam, & nunquam inuenimus Bersabeam fecisse coronam Salomoni filio suo. Rabbi Simeon filius Iohai petiuit à Rabbi Ismahel, dicens; fieri potest, vt audiueris à patre tuo, quid sibi vult,* In diademate, quo coronauit eum mater sua. *dixit ei, Ita, dabo tibi exemplum cuiusdam regis, cui vnica erat filia: quam tantopere diligebat, vt vocaret eam aliquando sororem: sicut scriptum est,* Soror mea, amica mea. *neque hoc solum, sed vocauit eam matrem suam: sicut scriptum est,* Au- *Cant. cap. 5.*

 dite

dite me popule meus, & לאומי *leummi*, idest
Isai. cap. 51. populus meus, *scribitur* לאמי *leimmi*, idest
mater mea. Hæc illi. Sed hæc quoque expositio ex vna parte falsum continet; eo quod matrem huius Salomonis, qui est ipse Deus, Iudæorum populum esse affirmant. Verum quidem est, nomine Salomonis intelligi Deum: at nomine matris suæ nullo modo potest accipi populus; quia nunquam in sacra scriptura reperimus, Deum vocasse populum nomine matris; sed nomine filiæ, sororis, ac sponsæ legimus ipsum à Deo fuisse nuncupatum. Isti autem ad suum intentum probandum corrumpunt apertè diuinam scripturam: cum enim Isaiæ cap. 51. vocentur Iudæi nomine populi, לאומי *leummi*, volunt ipsi, vt legatur לאמי *leimmi* idest mater mea. quod fieri nequaquam potest.

Hac eadem ratione, falsitatis arguitur Rabbi Salomon; licet enim per Salomonem fateatur intelligendum esse Deum, sicut in omnibus huius cãtici locis affirmat debere accipi, quod & veteres Rabbini in libro *Ialcut* docuerunt: eius tamen expositio insulsa & inanis est. In primis ait, coronam, qua Deus à populo coronatus dicitur, fuisse tabernaculum ipsi in deserto fabricatum & erectum: postea subdit, coronam hanc esse ipsummet Deum à populo Iudæorum in Deum receptum. tunc enim synagoga coronauit

ronauit Deum, cum in Deum suum acceptauit, in die quo ipse eis legem dedit. Vtrumque impropriè dictum. Si enim Iudaicus populus coronauit Deum, cum ei se subdidit, eiusque legis iugum sibi imposuit, eamque se obseruaturum promittens: qui nam erunt ij, qui ad hoc videndum inuitantur, cum dicitur, *Exite & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua?* Ijdem ergo erunt coronantes acceptantes, ac inspectores. quod non est dicendum: cum semper qui magnum quid agunt, diuersi sint ab ijs, qui ad inspiciendum vocantur. Neque dici potest tabernaculum in honorem Dei extructum coronam fuisse, si per coronam intelligitur dies ille festiuus, quo Deus per legem in sponsum à synagoga acceptus est: quia tabernaculum illud, vt constat ex cap. vltimo Exodi, post legis promulgationem anno erectum est. At duæ diuersæ ac distantes operationes, vti sunt legis datio, ac tabernaculi erectio, vnius coronæ nomine, qua vno die coronatus dicitur Salomon, id est Deus, intelligi nequeunt. Atque si pro hac corona tabernaculum intelligitur, quid sibi vult illud, *In die desponsationis?* quæ nam est ista desponsatio? in datione legis, non in erectione tabernaculi facta dici potest desponsatio. Insuper, ad videndum inuitati, non ad coronam, sed ad Deum coronatum

ronatum inspiciendum vocantur; non ergo ad tabernaculum cernendum.

His vanitatibus ac somnijs omissis, Cantici huius verum sensum aperiamus. Messias nomine Salomonis appellatus nostræ humanæ carnis corona opertus ac circendatus, visendus proponitur; qua à matre, synagoga videlicet, in qua natus est: vel, & multò verius à matre sua virgine candidissima coronatus est: ex cuius purissimis sanguinibus Christi filij Dei caro formata fuit. Quod explanare volens Salomon, tantæque rei mysterium ostendere: exite, ait, filiæ Syon, fideles animæ, & videte regem Salomonem, Christum regem pacificum, in diademate, in carne, qua coronauit eum, induit eum mater sua; non pater, quem in terris non habuit, sed mater tantummodo, quæ absque virili semine ipsum concepit & peperit. Res vtique mira ac spectatu digna. Vocatur caro nomine coronæ ratione multiplici. puta ab effectu; sicut enim corona in capite viri, cum regem esse indicat, ac cæteros regere: ita post carnem, quam assumpsit Deus, visibiliter ac corporaliter regnare cæpit super homines, quibus antea non ita dominari videbatur. at carne indutus, ab omnibus tamquam verus mundi rex salutatur & creditur: cui obediunt creaturæ omnes. Venatores cum feras ca-

pere cupiunt, quod artibus multis efficere non valent, hac vna via facillimè consequuntur: sumentes nimirum illius speciei ferarum spolium & pellem, qua induti, ac ferinam vocem simulantes, eam facili negocio ad se trahunt. Hoc egit Deus noster, ad se nos perducere volens, nostra se carne contexit: qua veluti corona coronatus apparuit. de quo Isai. c. 45. admirans ait, אכן אתה אל מסתתר Achèn attà el mistattèr. *verè tu es Deus absconditus*. Ieremias etiam obstupuit, atque dixit. למה תהיה כגר בארץ làmma tihiè cheghèr bàarets. *quare futurus es vt peregrinus in terra?* veste sibi peregrina indutus venit ad nos in terram Deus, nostra humana carne opertus ad regnandum super homines, eosque sibi conciliandos descendit. Deinde caro corona dicitur, quatenus ornamentum & decor est coronato. ne putarent homines, sicut insipientes Iudæi garriunt, viluisse Deum, hominem factum, nostraque carne contectum. tantùm hoc abest, vt ornamento ei sit; non modò nullam contraxit dedecoris maculam, sed magis honore & gloria, pulcritudine, venustate atque decore decoratus est. Quod contemplatus Dauid lætabundus cecinit: יהוה מלך גאות לבש לבש יהוה עז התאזר Adonài malàch, gheùh lauès, adonài hoz hithazzar. *Deus regnauit, gloriam induit,* Psal. 92.

Domi-

Dominus fortitudine cinxit se. Hoc est, cum Deus regnare cuperet, regnum de manu tyranni eripere, diabolum e mundo super quem regnabat eijciens, hoc vsus est instrumento: induit se gloria ac decore; coronam accepit, carnem scilicet humanam, quæ gloria & ornamentum dicitur, atque se cinxit. Cinctus dicitur Deus carne sumpta: vt ostendatur, non propter eam amisisse fortitudinem suam; quamquam diuinitas sub humanitate latebat, non ob id desierat esse Deus (quod inscij Iudæi capere nequeunt) sed magis eam erat ostensurus, magna & mirabilia operando. sicut quis ardua facturus, præcingit se, vt expeditior fiat ac fortior. Corona denique vocatur Christi caro: quia vt illa cingit, ac ferè induit caput regis super quo ponitur: sic & humana caro diuinitatem operiebat, Deusque absconditus apparebat. De hoc psaltes canendo dixit יהוה אלהי גדלת מאד הוד והדר לבשת Adonài elohài gaddàlta meòd, hod vehadar laudàsta. *Domine Deus meus magnificatus es vehementer: magnificentiam & decorem indutus es*. Hac corona ornatus magnificentiam suam demonstrauit Deus, cum seruis suis viuendo, illosque eximijs donando muneribus.

Atque iuxta hæc quæ dicta sunt, Messiam ex virgine nasciturum fuisse probare possumus.

mus. Quia eius caro corona dicitur, non quæcunque sed præciosissima, vt appellatur in psal. 20. qui certè de Messia intelligitur, vbi scriptum est תשית לראשו עטרת פז tasith lerosò hatèret paz. *pones in capite eius coronam topatÿ*. Si Christi caro peccatrix vt aliorum hominum fuisset: non topatij, nec ex lapidibus præciosis compacta diceretur, sed ex vili aliqua materia fabricata; ergo cum corona aurea ornata ac splendida dicatur, eius puritas ac sanctitas demonstratur, qui nec peccati maculam vllo vnquam tempore contraxit, & ita ex virg. natus: nam si alio modo natus esset, peccatricem carnem habuisset, ac obscura fuisset coronatus corona. Deinde cum carne indutus Dominus describitur, amictus fertur lumine sicut vestimento: lucidum vestimentum assumpsisse dicitur. quod si peccati originalis labe inquinatum fuisset, non certe lucidum vestimentum vocaretur. Quia Christi caro in passione sua vulneribus sauciata, rubra effecta est, dicitur eius vestimentum rubrum, vt Isaiæ cap. 65. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* idest *caro tua?* ita si eadem caro aliquam ex primo parente peccati maculam accepisset, nigrum eius vestimentum diceretur; cum autem è contra lucidum sit ac splendidum, nullum in eo peccatum fuisse demonstratur: ac propterea ex virgine natum

tum

tum esse, fateri omnino est necesse; alio enim modo nascens, nequaquam luminosum habuisset vestimentum.

Postea innuitur hoc mysterium, ex eo quod homines ad illud videndum inuitantur: quod vtique ostendit nouum quid esse, mirabile & intuitu dignum. Superfluum namque foret homines ad cernendum trahere, si non speciali modo natus omnes in sui admirationem raperet. Corona igitur coronatus à matre sua Salomon videndus proponitur, qui est Christus verus Salomon, verè pacificus à sola matre sine patre carne indutus ac circundatus.

CAPVT X.

Virginis partus ostenditur ex Solomone in libro prouerbiorum.

Mirabilis profectò est partus virginis; ita vt non modò indocti, sed & sapientes admirentur. Ipsum contemplatus Salomon inter omnes homines sapientissimus, se eum penitus ignorare fatetur, cum ait, שלשה המה נפלאו ממני וארבע לא ידעתים דרך הנשר בשמים דרך נחש עלי צור דרך אניה בלב ים ודרך גבר בעלמה. Selosà hèmma niphleù mimmènni, veharbahà lo iedahtim. dèrech hannèser bassamàijm, dèrech nachàs halè

tsur,

tsur, dèrech onijà belèb iam, vedèrech ghè-uer behalmà. *Quatuor sunt mirabilia mihi, & quartum non agnosco. viam aquilæ in coelo, viam colubri supra petram, viam nauis in medio maris, & viam viri in virgine.*

Ad horum verborum perfectam scientiam habendam, necesse est pro certo habere, regem Salomonem non ita loquutum fuisse, vt eius verba, pro vt in cortice apparent, accipienda sint. non enim credendum est, eum qui sapientia vicit omnes, miratum esse viam aquilæ, quasi eius volatum ignorasset; siue etiam quo pacto nauis in medio mari tempestatibus agitari possit: seu viam serpentis, vel eius gressum in petra nesciuisset; cum hæc omnia vulgares homines sciant & percipiant. Hoc dictum sit propter Iudæorum Rabbinos, quos non pudet asserere, Salomonem reuera ea omnia admiratum fuisse, prout in litera iacent. ita Rabbi Dauid Chimchi in libro *Sarasim* in dictione עלם *balàm*. Rabbi autem Abraham Aben Ezra ait, Salomonis admirationem eam esse, quod cum aquila per cœlos volitet, eius tamen terminus ignoratur. serpens supra petram incedens, locum, in quo consistat nescit. nauis in medio mari ventis agitata, atque procellis, quem finem sit habitura, nemo est qui certò sciat. postremò de muliere, quæ

impu-

impudentissima absque vllo Dei timore viuens, honestam se esse affirmat. Hæc ille. At falsa sunt omnia: nam Salomon non miratur terminum, sed viam, viam inquàm illorum trium præcedentium; deinde viam viri in muliere se nescire ait; non autem de via mulieris loquitur, neque se ignorare ostendit, quomodo aliqua mulier inueniatur, quæ se iustam atque honestam prædicet, cum è conuerso turpi lasciuiæ sit omninò dedita.

Rabbi autem Leui ait, Salomonem mirari, quod ea omnia in ambulando nullum sui itineris signum relinquunt. de quarta verò, quæ est de muliere, illum hoc se nescire dixisse, quo pacto mulier quæ prius valdè à viro amabatur, postea odio habeatur. Hoc insulsum prorsus est: quæ enim connexio esse potest trium priorum cum hoc quarto? Quid miratur Salomon mulierem dilectam fieri odiosam viro, cum hoc quotidie eueniat, ac quam plurimę de hoc causę assignari possint? Si quis aliquid miratur, propterea est, quia eius causam nescit; si ergo huius rei causa clarissimè patet, nimirum si mulier alteri viro misceatur: ille qui eam diligebat, iustissimè odit.

At omnibus his neotericorum Rabbinorum expositionibus turpius valde est antiquorum inuentum; qui in libro *Ialcut* hæc habent verba. דרך גבר בעלמה אמר ר' יוחנן

נו

Viam וזה התרנגול שאין אדם מכיר שכבת זרע שלו viri in halmá. *Dixit Rabbi Iohanan. Hic est gallus, cuius coitus rationem homo non cognoscit*: Pateat omnibus istorum stultitia: videant Iudęi quid impurissimi ipsorum magistri doceant. Deus excæcauit illos, sicut olim minatus erat.

Vt igitur veritas appareat, ac vera istorum Salomonis verborum intelligentia habeatur, pro fundamento statuendum est, non ita, vt foris sonant, accipienda esse illa tria præcipuè, quæ sibi difficilia esse ait. Non enim tanta sunt, vt in admirationem trahant hominem aliquem, quantò minus Salomonem omnium sapientissimum: Deinde liber in quo scripta sunt, appellatur משלי *mislè*, idest, prouerbia, seu similitudines quibus alia proferuntur, alia intelliguntur. Adde, quod & ipsimet Rabbini multa ac diuersa sub illarum rerum nomine intelligentes exposuerunt. Hoc in primis est animaduertendum, quod ille, qui miratur, est Salomon, qui non est dicendus res illas admiratus, sibique esse difficiles affirmasse. fuit enim omnium sapientissimus, ex testimonio tertij libri Regum cap. 3 vbi dicitur, *Præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium orientalium; & Aegyptiorum & erat sapientior cunctis hominibus: & erat nominatus in vniuersis* *Salomonis sapientia quanta fuerit.*

 regnis

ignis per circuitum. loquutusque est Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina eius quinque millia, & disputauit super lignis à cedro quæ est in libano, vsque ad hyssopum quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis & volucribus & reptilibus & piscibus. Quomodo igitur mirabatur aquilæ volatum, serpentis, ac nauis progressum, si cumulatissimam horum omnium habuit scientiam? si mirabatur, indoctus erat. quod scriptura negat.

Præterea si secundùm literæ corticem accipienda sunt verba illa: totum pariter id quod sequitur erit hoc modo exponendum. cum igitur dicat, *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes Affer, affer,* vt litera sonat, intelligenda sunt. At quis erit sensus? dicas Iudæe.

Denique ex hoc cognosci potest, non debere nos horum verborum exteriorem sonum sequi, sed interiorem intelligentiam inuestigare, quod liber hic prouerbiorum à Salomone editus est, vt ipse ait, *Ad sciendam sapientiam & eruditionem: ad intelligenda eloquia intelligentiæ ad suscipiendum eruditionem intellectus, iustitiam, & iudicium, & rectitudines. ad dandam simplicibus calliditatem, puero scientiam & cogitationem. Audiet sapiens, & addet doctrinam, & intelligens consilia possidebit. ad intelli-*

telligendum parabolam & interpretationem, verba sapientum & enigmata eorum. Non igitur in solo verborum sono consistendum, sed ad vlteriora penetrandum est, vt occulta, quæ sub ijs verbis latent mysteria percipere possimus. & in cap. 8. ait, *Audite quia de rebus magnis loquar*. quæ nam sunt hæc magna, si solum extrinsecè verba intelliguntur?

Sed ex ipsismet Rabbinis hoc apertè ostenditur, qui in libro *Ialcut* exponentes locum illum 3. Regum cap. 3. *Locutusque est Salomon tria millia parabolas*, quærunt quomodo hoc verum sit, cum solum octingentæ parabolæ inueniantur; sicque respondent. מלמד שכל פסוק ופסוק שאמר יש בו שנים ושלשה טעמים. *Docet scriptura, quod vnusquisque versus, quem scripsit Salomon, habet duos vel tres sensus*. Patet ex eo quod in eodem libro *Ialcut* super cap. 30. Prouerb. in ea verba, de quibus loquimur, licet mendantur in hoc quod Salomonem de talibus rebus sermonem habuisse affirmant; tamen quia illius verba ad alium sensum trahunt, quem non ostendunt extrinsecè, non errant. Hæc sunt eorum verba. שלשה המה נפלאו ממני כל אותה חכמה שכתוב בשלמה והמדע נתון לך ותרב חכמת שלמה מכל חכמת בני קדם ויחכם מכל האדם ישב לו תמה על ארבעת מינין הללו שנ׳ ג׳ המה נפלאו ממני פסח ומצה ומרור וארבעה לא ידעתים

 אלי

אלו ארבעה מינין שבלולב . Ideſt. Tria ſunt mirabilia mihi, &c. *Cum tota illa Salomonis ſapientia, de qua ſcriptum eſt*, Et maior fuit ſapientia Salomonis ſapientia orientalium, & ſapientior fuit omnibus hominibus, *miratus fuit ſuper quatuor his: videlicet paſchate, azimis, & amaritudine*. & quartum ignoro: *hoc eſt, quatuor ſpecies ligni, ex quibus componitur lulab*. quæ eſt palma quædã ab hebręis pro die expiationum, & tabernaculorum feſto fabricata ex quatuor ligni ſpeciebus, ſcilicet cedro, buſſo, hyſſopo. & mirto. Quæ omnia quàm falſa ſint, omnibus innoteſcit; quomodo enim Salomon mirari potuit feſtum paſcha Iudæorum, azimis, & lactucas agreſtes? non ne præceptum eſt in lege Moyſis, vt feſtum illud in memoriam exitus populi de Aegypto celebraretur, in quo azimum panem cum amaritudine, ſiue cum herbis amaris comederent, vt laborum, quos in Aegypto paſſi erant recordarentur, ac Deo liberationis gratias agerent? omnes etiam indocti hoc ſciebant. Et quis nàm credet vnquam Salomonem ignoraſſe quatuor illas lignorum ſpecies, ex quibus componitur palma Iudæorum, qui diſputauit ſuper lignis à cedro, quæ eſt in libano vſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete? vt habetur 3. Regum cap. 4. At quamuis hæc falſa ſint, quæ

Rabbini isti afferunt, tamen sunt nobis adiumento ad ostendendum, verba hæc Salomonis non ita vt extrinsecè apparent, esse intelligenda, cum ipsi ad alium sensum ea trahant.

Rabbi quoque Salomon testatur antiquos Rabbinos per hæc quatuor mirabilia intelligere quatuor principalia terræ regna, quæ sunt regnum Chaldæorum, Persarum atque Medorum, Græcorum, & Romanorum. Quod quidem pari modo falsitatis arguitur, cum non sit vllo modo asserendum Salomonem Romanorum regnum ignorasse. Ita etiam loquitur de alijs quatuor, de quibus in eodem capite habetur sermo. *Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod numquam dicit, sufficit*. de tribus primis regnis tria prima, & de regno Romanorum quartum interpretatur. & sic *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter*. At solummodo quæ de nostris quatuor habent, in ipsorum idiomate in medium afferre sufficiat. Sic aiunt. דרך הנשר זו בבל הנשר הגדול ארך האבר. נחש זו מדו. דרך אניה בלב ים זו יון שהיא קלה בגזרותיה. דרך גבר בעלמה זה רומי שאמר לעולם אהיה גברת Via aquilæ, *Ista est Babilonia*, regnum videlicet Babiloniæ, seu Chaldæorum, *aquila magna, longarum alarum*. Via serpentis. *ista est Media, regnum Medorum*. Via nauis in corde ma-

 ris.

tis. *Hæc est Græcia, quæ leuis seu velox fuit in sententijs suis.* Via viri in halmà. *Hæc est* Roma, *quæ ait, in æternum ero domina.* deducendo nomen עלמה *halmà* ab עולם *holàm*, quod significat æternum. Hæc Rabbinorum expositio quamuis inepta & falsa, verba Salomonis alium sensum habere ab illo qui in externo sono apparet, ostendit. At de alijs occultis in eodem capite contentis non malè prorsus locuti sunt: Nam illud, *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes Affer, affer*, aiunt, significare cælum & infernum, quorum primum dicit affer mihi animas iustorum: secundum clamat, da mihi animas, mitte ad me peccatores & impios.

Rabbi Leui ben Gherson exponens verba illa, *Per tria tremuit terra*, ait hoc esse quando seruus regnat, idest quando mendacium præualet, & mendax, qui est seruus, regnum obtinet & imperat. cætera omnia spiritualiter semper declarans.

Ex quibus omnibus habemus, in locis scripturæ, in quibus nulla est fidei controuersia, Rabbinos istos libenter verum sensum amplecti; aut vbi de fidei dogmatibus fit sermo, quasi callidas vulpeculas per amfractus semper ambulare, ad se ipsos aliosq. laqueis irretiendos; nec vnquàm veritatem fateri volunt, quia cæci sunt & duces cæcorum.

Reli-

Relictis igitur eorum deliramentis, nostram afferamus catholicam explanationem. De Messia procul dubio loquitur Salomon, ac eius diuina opera miratur; quia cum Deus esset, humanam assumens carnem in terram descendit, cum hominibus conuersatus est, ac pro hominibus vitam profudit. Sed de eius ortu præcipue loquens, modum eius nascendi se ignorare fatetur, cum ait, *quartum penitus ignoro*. quod est, via viri in virgine. quo nam videlicet pacto de virginis vtero exierit intactis virgineis claustris: cum mater post partum virgo, vt prius erat, remanserit.

Nec mirum Iudæis videri debet, hæc Salomonis verba de Messia à nobis exponi; si enim ipsorum Rabbini pro suo velle in diuersas partes ac sententias ea distraxerunt, multò magis nobis licebit Messiæ adaptare, qui totius diuinæ scripturæ finis est, propter quem omnes diuini scriptores à Deo missi sunt, vt Rabbini sæpe testantur, quod eò magis asserendum est: quia hæc verba non iuxta grammaticæ sensum accipienda sunt, quemadmodum ex ipsorum interpretationibus docemur, qui in locis obscuris diuinę scripturę ad Messiam confugiunt, ipsi adaptantes, ac de eo exponentes omnia. Et ideo quamuis hic de aquila, serpente, & naui sit sermo: tamen non de ijsdem rebus

Salomonem loqui asserendum est: cum, vt supra diximus, nulla talium rerum possit esse admiratio. sed nomine aquilæ, colubri, & nauis intelligitur Messias, qui his nominibus appellatur propter opera quæ egit, in quibus aquilam, colubrum & nauim se ostendit. ac propterea aliorum animalium etiam rapacium vocabulo nuncupatur, ad eius proprietates declarandas. Iacob vocauit
Gen. eum leonem dicens, *Catulus leonis Iudas*.
49. idest Messias qui de Iuda nasciturus erat.
Isa. 16. Agnus dictus est ab Isaia, *Emitte agnum Do-*
& 53. *mine*. &, *quasi agnus ad occisionem*. Lapis
Psal. vocatus est à Dauide, & Zacharia. Serpens
117. in ijs Isaiæ verbis, *De radice colubri egredie-*
Ezeh. *tur regulus*. idest Messias, vt ait Chaldaica
4. paraphrasis. Ita hic a Salomone appellatur
Isa. 14. aquila. Si enim aquila dictus est Nabuchodonosor propter eius magnificentiam; ac veluti aquila est auium regina, ita ille fuit rex magnus & fortis; eadem ratione Messias rex regum aquila vocandus est. Via igitur aquilæ in cœlum volantis est ascensus Christi ad cœlos admirabilis. quis enim non admirabitur humanum corpus per semetipsum in altum ascendere, ac cœlos penetraret cum omne corpus, quod graue est, in centrum natura feratur? Serpentis via supra petram est Christi in sepulcrum ingressus, eiusque inde egressus, post tres dies a morte re-

te resurgendo, sicut Ionas è ventre ceti, nullo sepulcri aperti signo relicto. Via nauis in medio mari idem Christus est: qui ad instar nauis preciosis onusta mercibus de cœlis ad nos venit, deferens pacem nobis, pacem ijs qui propè, pacem ijs qui longè, ait propheta: mundum reconcilians sibi, homines virtutibus ditans, ac terram Dei scientia replens, iuxtà Isaiæ vaticinium cap. 11. dicentis, *Repleta est terra scientia* Dei, *sicut aqua maris operientis*. quem de Messiæ temporibus locutum fuisse, negandum non est. quod & clarius docuit, dum ibidem de Messia ait, *Requiescet super eum spiritus* Domini, *spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis spiritus scientiæ & pietatis*. quæ omnia dona merces sunt huius ditissimæ nauis, quæ ad nostrum portum appulit, deditque dona hominibus. Via denique viri seu gigantis in virgine mysterium est eius ineffabilis natiuitatis, cuius ordinem ignorat Salomon, ac omnis creatura: quo nempe pacto ille qui exultauit vt gigas ad currendam viam, in matris suæ vterum absque virili semine descenderit, ac saluis virginitatis claustris inde exierit. Tria prima mirabilia sunt: at hoc quartum penitùs ignoratur. Huius rei magnitudinem tangit Isaias cap. 53. dum ait, *Quis credidit auditui nostro?* quasi nemo credere posset id quod se-

quens

Salomonem loqui asserendum est: cum, vt supra diximus, nulla talium rerum possit esse admiratio. sed nomine aquilæ, colubri, & nauis intelligitur Messias, qui his nominibus appellatur propter opera quæ egit, in quibus aquilam, colubrum & nauim se ostendit. ac propterea aliorum animalium etiam rapacium vocabulo nuncupatur, ad eius proprietates declarandas. Iacob vocauit
Gen. 49. eum leonem dicens, *Catulus leonis Iudas.* idest Messias qui de Iuda nasciturus erat.
Isa. 16. & 53. Agnus dictus est ab Isaia, *Emitte agnum Domine.* &, *quasi agnus ad occisionem.* Lapis
Psal. 117. vocatus est à Dauide, & Zacharia. Serpens in ijs Isaiæ verbis, *De radice colubri egredietur regulus.*
Ezech. 4. idest Messias, vt ait Chaldaica paraphrasis. Ita hic a Salomone appellatur
Isa. 14. aquila. Si enim aquila dictus est Nabuchodonosor propter eius magnificentiam; ac veluti aquila est auium regina, ita ille fuit rex magnus & fortis; eadem ratione Messias rex regum aquila vocandus est. Via igitur aquilæ in cœlum volantis est ascensus Christi ad cœlos admirabilis. quis enim non admirabitur humanum corpus per semetipsum in altum ascendere, ac cœlos penetraret cum omne corpus, quod graue est, in centrum natura feratur? Serpentis via supra petram est Christi in sepulcrum ingressus, eiusque inde egressus, post tres dies a mor-

te resurgendo, sicut Ionas è ventre ceti, nullo sepulcri aperti signo relicto. Via nauis in medio mari idem Christus est: qui ad instar nauis preciosis onusta mercibus de cœlis ad nos venit, deferens pacem nobis, pacem ijs qui propè, pacem ijs qui longè, ait propheta: mundum reconcilians sibi, homines virtutibus ditans, ac terram Dei scientia replens, iuxtà Isaiæ vaticinium cap. 11. dicentis, *Repleta est terra scientia* Dei, *sicut aqua maris operientis.* quem de Messiæ temporibus locutum fuisse, negandum non est. quod & clarius docuit, dum ibidem de Messia ait, *Requiescet super eum spiritus* Domini, *spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis spiritus scientiæ & pietatis.* quæ omnia dona merces sunt huius ditissimæ nauis, quæ ad nostrum portum appulit, deditque dona hominibus. Via denique viri seu gigantis in virgine mysterium est eius ineffabilis natiuitatis, cuius ordinem ignorat Salomon, ac omnis creatura: quo nempe pacto ille qui exultauit vt gigas ad currendam viam, in matris suæ vterum absque virili semine descenderit, ac saluis virginitatis claustris inde exierit. Tria prima mirabilia sunt: at hoc quartum penitùs ignoratur. Huius rei magnitudinem tangit Isaias cap. 53. dum ait, *Quis credidit auditui nostro?* quasi nemo credere posset id quod se-

queos

quens ait, *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti*. de quo superius dictum est. Vtique de Christo loquitur, qui de terra arida, de matre videlicet virgine, quæ terræ aridæ comparatur, quia & si pluuiam seminis in se non recepit, tamen concepit ac peperit filium. Est itaque mysterium hoc magnum & mirabile, cum Salomon maxima inter homines sapientia præditus ipsum contemplatus se nescire fateatur. At licet mirabile ac difficile sit, non tamen negari debet à Iudæis, qui difficultate rei perterriti, adduci non possunt vt credant. Dicant nobis, quare Salomon se non intelligere mysterium hoc fateatur, si non est? Si partus virginis non datur, cur conqueritur se illum non pertingere?

Respondent Iudæi, Salomonem loqui non de virgine, sed de corrupta. At hoc absurdum est dicere. Miratur ille quomodo vir per mulierem transeat, nulla sui transitus signa relinquens. si de muliere corrupta loqueretur: nullus esset admirationi nec ignorantiæ locus, cum omnibus pateat signum in muliere corrupta, postquam peperit; in virgine autem nullum apparet signum, alioquin non esset virgo. & hoc est mirum. Cum ergo Salomon admiretur, ac se ignorare affirmet, consequens est, vt de virgine, non de corrupta loquatur. Quæ autem virgo vn-

quàm

quàm fuit, quæ pareret, ac virgo remaneret, nisi Christi mater, quæ virgo in partu & post partum permansit? En ex Salomone habemus Messiam ex virgine fuisse nasciturum.

CAPVT XI.

Respondetur ad obiecta Iudæorum.

QVia ex prædictis Salomonis verbis mysterium virginei partus valde illustratur: totis viribus conati sunt Hebræorum Rabbini ea peruertere, ne miser ille populus huius veritatis lucem recipere posset. Rabbi Dauid Chimchi, & cum eo tota Iudæorum caterua argumenta duo proponit ad probandum vocem illam עלמה *halmà* qua vsus est Salomon, nullo pacto pro virgine accipi debere, sed pro muliere corrupta intelligendam esse. Ita loquitur in libro *sarasim* ודרך גבר בעלמה . לא יתכן לפרש בתולה כי אמר אחריו כן דרך אשה מנאפת אכלה ומחתה פיה ואמרה לא פעלתי און. Et via viri in halmà. *Non est conueniens exponere pro virgine, quia sequitur*, Sic est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit, non sum operata iniquitatem.

Quæ ratio quàm inepta sit, clarè videtur. Cur enim non potest intelligi de virgine, & si se-

si sequitur loqui de adultera? Immò ex hoc quod in textu habetur, *Sic via mulieris adultera*, docemur, non posse vnam & eandem intelligi, sed necessariò duas diuersas esse dicendas. non enim ait, ista est via mulieris adulteræ, sed, sic est via mulieris adulteræ. & dictio כן chen, *sic*, est signum similitudinis, non autem identitatis. Sensus igitur erit, quod sicut mirabatur Salomon illa tria superiora, & quartum multo magis: sic nunc miratur mulieris impudentiam, quæ cum sui corporis turpem copiam alijs faciat, honesta vult apparere, & tamquam nihil mali agens reputari. Prouerb. cap. 1. ait sapiens כן ארחות כל בצע בצע Chen orchoth col botsèa bàtsa. *Sic semita omnis auari sectantis auaritiam*. Dixerat superius fugienda esse malorum hominum comercia, qui animis nostris insidiantur, retiaq. simplicium pedibus tendũt: postea sequitur dicens, idẽ euenire auaris in pecuniæ thesauris cõgregandis, qui rete sibimet tendunt & illaqueantur. Non propter hoc quod ait, *Sic semita omnis auari*, intelligi debet vnam eandemque rem esse impiorum hominum societatem, & auarorum cupiditatem: sed tantummodo hæc duo inter se quandam habere similitudinem, quæ est laqueum authoribus suis parare. Ita in præsenti cum Salomon asserat se nescire viam viri in halmà, licet sequatur,

ſic eſt via mulieris adulteræ, nullus qui non ſit mente captus, eandem rem eſſe affirmabit. ſed ſolum corrolarium quoddam erit ex illis quatuor deductum, ac illorum occaſione allatum, oſtendens Salomonem etiam hoc admiratum fuiſſe, mulierem inhoneſtam tanta eſſe impudentia plenam, vt honeſtæ fœminæ comparari, ac innocentem ſe oſtendere vellit.

Et meretricis ac mulieris adulteræ nomine intelligit vel veram meretricem, vel quod veroſimilius eſt, Iudæorum ſynagogam eo titulo à pluribus prophetis appellatam ob eius ſpiritualia adulteria, quibus relicto vero ſponſo Deo, idolis tanquam amatoribus ſuis copulabatur, ea vt Deum colens, ac ſacrificia, quæ ſoli Deo debentur, offerens. Deinde cum nihil mali ſe feciſſe arbitraretur, aiebat, non peccaui. Cuius impietate permotus Dominus ait Ierem. cap. 2. חנני נשפט אותך על אמרך לא חטאתי Hinneni niſpat othach hal omrèch lo chatàthi. *Ecce ego iudico te, eo quod dixeris, non peccaui.* Sed multò magis hoc apparet in Chriſti Domini noſtri iniuſtiſſima nece, quæ nec peccatum quidem ab eis reputatur, cum fuerit iniquiſſima cædes, execrabile ſacrilegium. dicunt enim, quid feci? oh impudentiſſimam meretricem. Dominum tuum dereliquiſti, ſponſum ac Saluatorem tuum occidiſti, &

ais,

ais, quid feci? De hoc idem propheta cap. 8. sic loquitur הקשבתי ואשמע לא כן ידברו אין איש נחם על רעתו לאמר מה עשיתי hicsabti vaesmàh lo chen iedabbèru:en is nichàm hal ra hathò len òr meh hasithi. *Auscultaui & attendi, non rectè loquuntur; non est quem pœniteat malitiæ suæ, dicendo, quid feci?* Quia igitur eam suæ impietatis non pœnitet, neque Deum suæ in eam punitionis pœnitebit: sicque impœnitens synagoga velut mulier adultera ac derelicta de domo viri sui

Cap. 9. eiecta, nunquam, iuxtà Oseæ vaticinium, reuersura est, nisi Christum, quem negauit, confiteatur Dei filium ex virgine natum, ac mundi Saluatorem à Deo missum, in quem qui non credit, iam iudicatus est.

Alterum argumentum Rabbini ad idem ostendendum his verbis continetur. אם היה לשון עלמה בתולה לא יאמר ממנו לזכר עלם כמו שלא יאמר מבתולה לזכר בתול. *Si nomen balmà significaret virginem, non formaretur ex eo in genere masculino nomen* עלם *bèlem,* idest puer: *sicut non formatur ex nomine* בתולה *bethulà* (quod absque controuersia virginem significat) *suum masculinum* בתול *batbul.*

Responsio. Fundamentum huius argumenti est, quod Hebræi nequeunt intelligere, quo pacto virginitas conueniat masculis, & apertè negant masculos posse virgines appel-

appellari, cum reperiatur dictio עלם *bèlem*, quæ puerum significat: puero autem a unt virginitatem non conuenire, & consequenter eius nomen fœmineum non virginem, sed puellam tantummodò significabit. Cuius rei signum afferunt, quod nomen *betbulà*, quod apud omnes receptum est, virginem demonstrare, non habet nomen masculinum: quod deberet esse בתול *batbul*, ex quo inferunt, virginitatem non reperiri in masculo, sed tantùm in fœmina, & nomen *balmà* solum pro puella accipi, sicut eius masculinum *bèlem* solum puerum, non autem virginem denotat. His tamen in nihilo nobis aduersantibus, asserimus nomen *balmà* perpetuò puellam virginem designare, vt patet expressè in omnibus diuinæ scripturæ locis, in quibus hæc dictio reperitur, & infra ostendemus. nunc ad friuolam huius Rabbini rationem respondeamus. Si nomine virginis nil aliud vult intelligere, nisi mulierem, quæ claustra integra habet, nec virum vnquam cognouit, quamuis inhonesta sit, & vaniloqua, garrula, ac vitiorum mancipium: quod certe fieri potest, cum nullam viri copiam habere possit: tamen ardore concupiscentiæ detenta, appetit turpia, loquitur inhonesta, & in cogitationibus ac verbis illicitis moratur, vtique verum dicit: & ita nomen virginis non con-

uenit

uenit nisi fœminæ, ac propterea solum *bethulà* reperitur, non autem *bathul*: quia huiusmodi nomen denotat cuius claustra virginitatis non sunt aperta; Si autem accipiatur nomen virginis, quemadmodum re vera est accipiendum, vt significet eam, quæ longe à virorum conspectu in perpetua continentia & castitate viuens, nec verbis nec cogitationibus inhonestis se maculauit: cur hoc etiam de masculo dici nequit? multi enim à pueritia iugum domini ferentes, se intra claustra recluserunt, & cum mulieribus non coinquinati virgines permanserunt. in hoc sensu accipitur *balmà*, quæ non virginem tantummodò, idest solum claustra clausa habentem, sed & voluntate & corpore, verbis & cogitationibus virginem, occultam viro,. ac perpetuam virginitatem seruantem designat.

Si verò dicat Iudæus, virilis virginitatis nullam in sacra scriptura fieri mentionem, ac propterea nostrum esse inuentum; respondemus, hoc maximum esse Christianæ religionis priuilegium, pulcherrimum ornamentum, eiusque supra veterem legem perfectionis euidens argumentum. Quod enim in veteri testamento ignorabatur, apparuit, & innotuit in nouo: ac tamquàm preciosus thesaurus inuentus seruatus& custoditus est ab ijs qui diligunt illum, qui quàmplurimi sunt.

sunt. Quod autem vetus testamentum masculorum virginitatis non meminerit, ea est ratio: quia tempore illo omnes desiderio prolis habendæ nubebant, ac propterea parui faciebant continentiam. Nec opus erat de eorum virginitate loqui, sicut de virginitate mulierum, quæ cum sanctis patriarchis essent in matrimonium tradendæ, necesse fuit, vt de illis sacra Scriptura fidem faceret, non cum alijs viris se miscuisse, sed virgines fuisse, ac viris ignotas.

CAPVT XII.

Ex septem diuinæ scripturæ locis ostenditur nomen* halmà *virginem denotare.

VT magis Rabbi Dauidis Chimchi, omniumque Iudæorum pertinacia conuincatur, ex alijs sacræ paginæ locis probabimus *halmà* virginem omnimodam significare. Primo habetur hæc vox capite 24. Genesis, vbi de Rebecca est sermo, ac de ea dicitur, והיה העלמה היוצאת לשאוב Vehaiâ hahalmà haijotsèch lishòb *& erit, virgo quæ egreditur ad hauriendam aquam*. quo loco dictionem *halmà* accipi pro virgine, testatur ipsa scriptura eodem loco dicens והנערה טבת מראה מאד בתולה ואיש לא ידעה Vehannahará touàth marhè meòd: bethulà, vehis lo

iedahá. Et *puella erat pulcra aspectu valdè, & vir non cognouerat eam*. Si ergo scriptura hoc affirmat quo pacto dici potest oppositum? Rabbi Bechaiái de Rebecca loquens, refert ex antiquis, tunc trium annorum fuisse, dicens לפי דעת מדרש שהיתה בת ג׳ שנים *Iuxtà sententiam antiquorum Rabbinorum erat ætatis trium annorum*. Hoc autem credibile non est, cum hidriam ferens ad aquam hauriendam processerit. quod in tam parua ætate præstare non potuisset. attamen contra ipsos valet ad probandum eam fuisse virginem, nam in trium annorum ætate virginitate caruisse, stultum est opinari.

Obiiciunt Hebræi. Si *balmá* est virgo, quid necesse fuit, vt scriptura hoc doceret, dicens, *Virgo erat, & vir non cognouerat eam?* quod enim clarum est, nulla indiget declaratione. Respondetur. Propter vos hoc dixit scriptura, & propter perfidiam vestram, vt nullum haberetis subterfugiendi locum, ad maiorem expressionem hoc addidit, vt certò sciremus dictionem *balmá* virginem, non autem vllo modo corruptam demonstrare. Et nos idem vobis obiicere possumus de nomine *bethulà*. non ne bethulà certissimè virginem denotat? Ita profectò. Si virgo est, & ex consequenti ignota viro, ad quid scriptura prosequitur, dicens,

& vir

& vir non cognouerat eam? non ne sufficiebat dicere, *Virgo erat*? sufficiebat certe, sed quia de re magna agebatur, multis verbis eam corroborare opus fuit.

Respondet pro Iudæis Rabbi Salomon, dicens, propterea scripturam addidisse illud, *Et vir non cognouerat eam*, vt ostenderet eam nullo modo à viro cognitam fuisse, neque in anteriori, neque in posteriori parte. Hæc sunt eius verba. *Virgo erat*. בתולה ממקום בתולים. ואיש לא ידעה שלתכדרכה *idest in loco virginitatis, hoc est, naturali modo*. & vir non cognouerat eam. *non secundùm viam suam*. hoc est per viam non rectam, præpostera libidine.

Hæc responsio fundatur in illa abominabili ac nefandissima doctrina talmudica de dupl ci coitu muliebri, quam impij Rabbini in execrabili illo opere Talmud adinuenerunt: docentes licere viris abuti vxoribus quomodocunque voluerint. Sed missa faciamus hæc. Pateat ex his quàm verè dicantur Iudæi cæcitati percussi.

Secundò legitur vox ista *halmà* capite 2. Exodi, vbi sermo est de Maria sorore Moysis, quæ ad cistellam in qua infans Moyses clausus erat, custodiendam destinata fuerat; de qua dicitur ותלך העלמה vattelech hahalmà. *& perrexit virgo*. quo in loco virginem designare, nulli dubium esse potest.

cum credendum sit, eam fuisse paruulam; nam maiores natu domi seruantur, nec extra vagari permittūtur. Si autem Iudæus hoc negauerit, probare ipse debebit oppositum.

Tertiò reperitur in psal. 68. in illis verbis, *In medio iuuencularum timpanistriarum*. in textu hebraico habetur, בתוך עלמות תופפות bethoch halamòth tophephòth. *in medio virginum timpanizantium*. nam *halamòth* numeri pluralis est, ab *halmà* singulari: loquitur ibi scriptura di Maria sorore Moysis, ac de reliquis mulieribus, quæ post transitum maris rubri cecinerunt canticum, gratias agentes Deo, vt est Exod. cap. 15. & ait, *Præuenerunt principes*, idest angeli, vt nonnulli interpretantur; aut Moyses & Aaron secundùm alios, qui canere cœperunt, Deum propter obrutum Pharaonem laudantes; quos sequutæ sunt Maria ac cæteræ fœminæ prosequentes laudes domini, quæ vocantur עלמות *halamoth*. Certum est autem eas mulieres sanctas fuisse, vt habetur ex Chaldaico Paraphraste, qui traduxit נשיא צדיקתא nesaijà tsadictà, *mulieres iustæ*. & licet non claré constet eas fuisse virgines, tamen Iudæi nunquam probare poterunt eas virgines non fuisse. multòque minus veritatem habebit id quòd ait Rabbi Dauid Chimchi, qui conatur probare vocem *halmà*, quæ habetur Prouerb. cap. 30. de qua

supra

ſupra diximus, mulierem adulteram denotare. quod ſi verum eſſet, nequaquam paraphraſtes dixiſſet has *balamoth* mulieres iuſtas.

Quartò & quintò habetur dictio *bàlmà* in libro Canticorum cap. 1. & cap. 6. in illis verbis עלמות אהבוך halamòth haheuùcha, *Virgines dilexerunt te*. & עלמות אין מספר halamòth en m ſpàr, *Virginum non eſt numerus*. Quibus locis virginitatis ſenſum habere oſtenditur clarè ex Rabbinorum commentarijs. Rabbi Abraham Aben Ezra pro עלמות *balamoth* habet נערות קטנות naharoth chetanòth. *puellæ paruulæ*. & ex conſequenti virgines. Rabbi Salomon apertiùs loco עלמות *balamoth* poſuit בתולות *bethuloth*, quæ vox abſque vlla controuerſia virgines ſignificat. Ex capite autem ſexto magis illuſtratur hæc veritas; cum enim ſcriptura loquens de mulieribus Salomonis, diſtinctè de vnoquoque gradu dixiſſet, *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, &* עלמות *balamòth, non eſt numerus*, clarè patet, nomine *balamòth* intelligi virgines, aliòquin vana fuiſſet ordinum diſtinctio, nam loquens de mulieribus cognitis à Salomone, ait, eas quæ tanquam præcipuæ eius vxores veluti reginæ habebantur, fuiſſe ſexaginta: illas verò, quæ vt ſolummodo

cum credendum sit, eam fuisse paruulam; nam maiores natu domi seruantur, nec extra vagari permittũtur. Si autem Iudæus hoc negauerit, probare ipse debebit oppositum.

Tertiò reperitur in psal. 68. in illis verbis, *In medio iuuencularum timpanistriarum*. in textu hebraico habetur, בתוך עלמות תופפות bethoch halamòth tophephòth. *in medio virginum timpanizantium*. nam *halamòth* numeri pluralis est, ab *halmà* singulari loquitur ibi scriptura di Maria sorore Moysis, ac de reliquis mulieribus, quæ post transitum maris rubri cecinerunt canticum, gratias agentes Deo, vt est Exod. cap. 15. & ait, *Præuenerunt principes*, idest angeli, vt nonnulli interpretantur; aut Moyses & Aaron secundùm alios, qui canere cœperunt, Deum propter obrutum Pharaonem laudantes, quos sequutæ sunt Maria ac cæteræ fœminæ prosequentes laudes domini, quæ vocantur עלמות *halamoth*. Certum est autem eas mulieres sanctas fuisse, vt habetur ex Chaldaico Paraphraste, qui traduxit נשיא צדיקתא nesaijà tsadictà, *mulieres iustæ*. & licet non clarè constet eas fuisse virgines, tamen Iudæi nunquam probare poterunt eas virgines non fuisse. multòque minus veritatem habebit id quod ait Rabbi Dauid Chimchi, qui conatur probare vocem *halmà*, quæ habetur Prouerb. cap. 30. de qua

supra

ſupra diximus, mulierem adulteram denotare, quod ſi verum eſſet, nequaquam paraphraſtes dixiſſet has *balamoth* mulieres iuſtas.

Quartò & quintò habetur dictio *bàlmà* in libro Canticorum cap. 1. & cap. 6. in illis verbis עלמות אהבוך halamòch haheuùcha, *Virgines dilexerunt te*. & עלמות אין מספר halamòch en m ſpàr, *Virginum non eſt numerus*. Quibus locis virginitatis ſenſum habere oſtenditur clarè ex Rabbinorum commentarijs. Rabbi Abraham Aben Ezra pro עלמות *balamoth* habet נערות קטנות naharcth chetanòth. *puellæ paruulæ*. & ex conſequenti virgines. Rabbi Salomon apertiùs loco עלמות *balamoth* poſuit בתולות *bethuloth*, quæ vox abſque vlla controuerſia virgines ſignificat. Ex capite autem ſexto magis illuſtratur hæc veritas; cum enim ſcriptura loquens de mulieribus Salomonis, diſtinctè de vnoquoque gradu dixiſſet, *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, &* עלמות *balamòth, non eſt numerus*, clarè patet, nomine *balamòth* intelligi virgines, aliòquin vana fuiſſet ordinum diſtinctio, nam loquens de mulieribus cognitis à Salomone, ait, eas quæ tanquam præcipuæ eius vxores veluti reginæ habebantur, fuiſſe ſexaginta: illas verò, quæ vt ſolummodo

carnaliter cognitæ; concubinæ appellabantur; cum non essent reuera legitimæ vxores, fuisse octoginta. eas autem, quas nunquam cognouerat, sed ad eius imperium asseruabantur; sine numero fuisse affirmat. Patet has nouissimas non esse de numero cognitarum, sed virgines. Hæc vox עלמות *balamòth* respicit ætatem, nec solum iuuenculam significat, sed tantummodo exprimit virginitatem ac integritatem corporis, animique puritatem.

Sextò habetur in libro Prouerb. cap. 30. in verbis supra expositis ודרך גבר בעלמה *vedèrech ghèuer behalmà* vbi Rabbi Dauid Chimchi, ait accipi debere pro muliere fornicaria, eo quod in textu sequitur, sic est via mulieris adulteræ. Contra quem est Rabbi Dauid de pomis, qui declarans vocem עלמה halmà, habet: עלמה נערות משלי ל׳ או נערה לפי האמת hoc est, *balmà significat pueritiam*, quem sensum sequitur nostra latina editio habens, viam viri in adolescentia. *aut verius designat puellam*: non igitur est adultera, vt Rabbi Dauid blasphemat. Sed neo solum iuuenculam significare, ostenditur ex ijs quæ supra diximus, quia scribitur à Salomone tamquam res admirabilis, cuius rationem se ignorare aperte confitetur, ergo non est de iuuencula sermo, quam nemo parien-

rientem videns miratur; at si ex virgine hominem nasci homines viderent, vtique maxima afficerentur admiratione.

Septimus locus in quo nomen *balmà* legitur, est Isaiæ cap. 7. vbi dicitur, הנה העלמה הרה: hinnè hahalmà harà. *ecce virgo concepit*: qui locus cum insignissimus sit, ac longa indigens discussione, in sequenti libro tractabitur.

Per Ezechielem etiam videtur veritas hæc figurata, cum cap. 44. ait, וישב אותי דרך שער המקדש החיצון הפנה קדים והוא סגור ויאמר אלי יהוה השער הזה סגור יהיה לא יפתח ואיש לא יבא בו כי יהוה אלהי ישראל בא בו והיה סגור. Vaijaseb othi dèrech sàhar hammiedàs hachitsòn happonè cadim, vehù saghûr, vaijòmer elài Adonài, hassàhar hazzè saghùr ijhiè, lo ijppathèach, ve is lo iauò bo, chi Adonài elohè Israel ba bò, vehaià saghûr. *Et redire me fecit ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respicit ad orientem, & ipsa clausa erat*. *Dixitque Deus ad me. Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non ingredietur per eam, quia Dominus Deus Israel transiuit per eam, & erit clausa*. Ex nostris doctoribus quamplurimi sunt, qui portam hanc Christi matrem interpretantur, quæ clausa dicitur, nullusque per eam ingressus est nisi Dominus: quia virum non nouit, Deique solius virtute grauida effe-

cta est, virgoque cùm ante partum fuisset, & in partu, ac post partum virgo permansit. quod innuitur in eo quod ter dicitur, clausa erit porta hæc, per quam vir nullus vnquam intrauit. Beati Augustini verba sermone decimoquarto de natiuitate Domini referre sufficiat. & sunt hæc. Quid est porta Domini clausa, nisi quod Maria semper fuit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quod Ioseph non cognouit eam? & quid est, Dominus solus intrat & egreditur per eam, nisi quod spiritus sanctus imprægnauit eam, & angelorum dominus nascetur per eam? & quid est, clausa erit in æternum, nisi quod Maria virgo est ante partum, & virgo in partu, & virgo post partum? Hæc ille.

Neque est silentio prætereundum id, quod in Danielis capite secundo adumbratum legimus. Ibi enim cum de statua, quam Nabuchodonosor rex vidit, ac de lapide e monte sine manibus exciso, qui eam percussit & contriuit, sermo fiat; atque lapis ille non alium, quàm Christum designet, qui omnia mundi regna, per ea, ex quibus statua exstructa erat, metalla demonstrata comminuit: ac ex lapide mons magnus factus vniuersam terram repleuit, regnumque suum fundauit & stabiliuit; cumque de monte sine manibus dicatur excisus, nihil

aliud

aliud innui videtur, nisi eius admiranda ex matre virgine generatio, sine vllo virilis seminis concursu. Non est enim nouum in scriptura, generationem alicuius excisionis nomine designari. Ecce hebræorum generatio ita ab Isaia capite 51. exprimitur. *Attendite* (inquit) *ad petram unde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis*. Quid autem per hanc metaphoricam locutionem sibi velit, statim declarat, dicens, *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos*. Per montem à quo lapis excisus est, Beatus Augustinus intelligit Iudaicum populum, de quo Christus secundùm carnem, sed tamen sine manibus, hoc est sine carnali copula genitus est. Sic in tractatum nono in Ioannem ait, Lapis de monte præcisus ipse est lapis, quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli. De quo monte præciditur, nisi de regno Iudæorum, vnde Christus Dominus secundùm carnem natus est? & præciditur sine manibus, sine opere humano: quia sine amplexu maritali de virgine exortus est.

Sed congruentius per montem significari videtur Christi mater virgo beatissima propter singularẽ omniũ virtutũ excellentiam; quarum

cta est, virgoque cùm ante partum fuisset, & in partu, ac post partum virgo permansit. quod innuitur in eo quod ter dicitur, clausa erit porta hæc, per quam vir nullus vnquam intrauit. Beati Augustini verba sermone decimoquarto de natiuitate Domini referre sufficiat. & sunt hæc. Quid est porta Domini clausa, nisi quod Maria semper fuit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quod Ioseph non cognouit eam? & quid est, Dominus solus intrat & egreditur per eam, nisi quod spiritus sanctus imprægnauit eam, & angelorum dominus nascetur per eam? & quid est, clausa erit in æternum, nisi quod Maria virgo est ante partum, & virgo in partu, & virgo post partum? Hæc ille.

Neque est silentio prætereundum id, quod in Danielis capite secundo adumbratum legimus. Ibi enim cum de statua, quam Nabuchodonosor rex vidit, ac de lapide e monte sine manibus exciso, qui eam percussit & contriuit, sermo fiat; atque lapis ille non alium, quàm Christum designet, qui omnia mundi regna, per ea, ex quibus statua exstructa erat, metalla demonstrata comminuit: ac ex lapide mons magnus factus vniuersam terram repleuit, regnumque suum fundauit & stabiliuit; cumque de monte sine manibus dicatur excisus, nihil

aliud

aliud innui videtur, nisi eius admiranda ex matre virgine generatio, sine vllo virilis seminis concursu. Non est enim nouum in scriptura, generationem alicuius excisionis nomine designari. Ecce hebræorum generatio ita ab Isaia capite 51. exprimitur. *Attendite* (inquit) *ad petram unde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis.* Quid autem per hanc metaphoricam locutionem sibi velit, statim declarat, dicens, *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Per montem à quo lapis excisus est, Beatus Augustinus intelligit Iudaicum populum, de quo Christus secundùm carnem, sed tamen sine manibus, hoc est sine carnali copula genitus est. Sic in tractatum nono in Ioannem ait, Lapis de monte præcisus ipse est lapis, quem reprobauerunt ædificantes, & factus est in caput anguli. De quo monte præciditur, nisi de regno Iudæorum, vnde Christus Dominus secundùm carnem natus est? & præciditur sine manibus, sine opere humano: quia sine amplexu maritali de virgine exortus est.

Sed congruentius per montem significari videtur Christi mater virgo beatissima propter singularẽ omniũ virtutũ excellentiam; quarum

quarum tanta est sublimitas, vt omnium aliorum Sanctorum virtutes excedat, sicut mõs planiciem & colles altitudine superat. Quod & idem B. Augustinus postea confessus est in concione ad Cathecumenos, vbi montem hunc virginem Christi matrem interpretatur, sic dicens, Ipse est enim & lapis ille abscissus de monte sine manibus concidentium, idest Christus natus de virgine sinemanibus complectentium; qui tantum creuit, vt mons magnus fieret, & impleret vniuersam faciem terræ. Hæc ille. Vt cunque sit, quia sine manibus excisus dicitur, sine virili semine natus intelligitur. Et hæc prõ nunc ex figuris, quæ virginis partum adumbrant, non obscurè mysterium hoc ostendisse sufficiat. Si quis ea quæ dicta sunt expendere voluerit, diuinissimi huius mysterij non mediocrem notitiam acquiret, & contra virginis hostes non infirma arma proferre valebit.

* * *

F. PE-

F. PETRI PICHI DE TREVIO OR. PRAED.

DE PARTV VIRGINIS DEIPARAE.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Ex Isaia vaticinio cap. 7. manifestè probatur virginis partus. Sed prius confutantur Rabbinorum expositiones.

AD clariora nunc prophetarum oracula descendentes, veritatem, quam proposuimus, maiori claritate illustrabimus. Quo tempore vrbs Ierusalem ab impio rege Achaz regebatur, à duobus regibus, Siriæ

riæ nimirum, & Israelis obsessa fuit; cumque ille, vt minime fidelis, salutem desperaret, neque Deum ab obsidione vrbem liberare posse crederet, diuinum audiuit nuncium in hæc verba; *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* quibus ad credendum induceretur, vt videlicet signum aliquod à Deo fieri videns, eius omnipotentiam, quam negabat, fateri cogeretur. At noluit incredulus signum petere, ne infidelitatem desereret. Tunc ait Propheta. *Audite ergo domus Dauid. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius emmanuel.* siue, vt hebraicè habetur, הנה העלמה הרה וילדת בן Hinnè hahalmà harà, veiolèdeth ben. *Ecce virgo grauida, & pariens filium.* Quibus verbis virginis partum, seu Messiæ matris virginitatem contineri, post Rabbinicarum sententiarum confutationem, clarissimè demonstrabimus. Contorquent se Rabbini omnes in huius versiculi expositione: & quod mirum est, ac illorum erroris argumentum, nemo cum altero concordat; sed quot capita, tot sententiæ, & alter alterius destruit ædificium. Rabbi Salomon ait, hanc mulierem *holmà* appellatam, Isaiæ prophetæ esse vxorem: signum autem, quod ipse promisit se daturum, est, hanc ipsius vxorem

vxorem tunc temporis parituram fuisse filium. eius verba sunt, הנה העלמה הרה אשתי הרה השנה הזאת והיא היתה שנת ד' לאחז. Ecce halmá grauida. *Haec est vxor mea* (ait Isaias) *grauida erit hoc anno, qui est quartus regis Achaz*. At Rabbi Dauid Chimchi, quamuis prius dixisset, hanc *halmá* vxorem esse Isaiæ, siue vxorem Achaz regis, videtur tamen mutasse sententiam, arguens contra Rabbi Salomonem, ac probans, nullo modo dici posse de vxore Isaiæ. Sic enim ait, אם היתה אשת הנביא היה אומר הנביאה כמו שאמר ואקרב אל הנביאה. ועוד שאמר מלא רחב ארצך עמנואל משמע כי בן מלך היה Quibus verbis duo argumenta continentur. Primum. *Si hac halmá esset vxor Isaiæ prophetæ, appellaretur prophetissa: sicut dicitur in cap. 8. & accessi ad prophetissam*. Secundum. *Dictum est de puero nasciture ex hac halmá*, Extensio alarum tuarum, plenitudo latitudinis terræ tuæ ò Emmanuel. *signum est, quod filius regis fuit*. Non igitur dici potest hanc halmá vxorem esse Prophetæ, cum filius ex ea nasciturus describatur tanquam filius regis: propheta verò non fuit rex. Cap. 8

Nos quoq. alias rationes contra Rabbi Salomonis sententiam afferre possumus: quo magis eius inscitia appareat. Et primò. Non habetur ex scriptura, Isaiã vxoratũ fuisse, neq.

de eius

de eius coniuge aliquid annunciatur; sed Rabbinus ei coniugem fuisse fingit, vt possit illi suam expositionem accommodare. Si quis autem dicat, scripturam loqui manifestè de filio Isaiæ, ac propterea eum matrimonij vinculo obstrictum fateri cogamur. Respondemus, vtique in cap. 7. mentionem fieri filij cuiusdam, *Sear Iasub* appellati, qui Isaiæ filius dicitur: at hoc non probat, eum fuisse coniugatum; quia filius ille non carnalis fuit, neque ex eius lumbis egressus: sed filius appellatus est eo modo quo discipuli prophetarum, filij eorum dicebantur, vt habetur 4. Regum cap. 6. Cuius rei testimonium perhibent ipsius Rabbi Salomonis verba, qui declarans quid sit *sear Iasub*, quod interpretatur *Reliquia conuertentur*, ait. ושאר ישוב בנך שארית מעט שישובו אלי על ידך והם כבניך *Sear Iasub filius tuus* (verba Dei sunt ad Isaiam) *idest pauca illæ reliquia quæ ad me per te conuertentur, sunt quasi filÿ tui.* Chaldaica quoque paraphrasis habet ואמר יי׳ לישעיה פוק כען לקדמות אחז את ושאר דלא חטו ודתבו מחיטאה תלמידך *Et dixit Dominus ad Isaiam, Egredere nunc in occursum Achaz tu & reliqui, qui non peccauerunt, & qui conuersi sunt à peccato discipuli tui.* Rabbi Dauid Chimchi Paraphrastem secutus ait, ודעת יונתן כי שאר ישוב לא היה בן ישעיה אלא פירוש שאר ישוב אנשים טובים שהיו תלמידי

תלמידי ישעיה *Et sententia Ionatha est, quod Sear Iasub non fuerit Isaia filius: sed expositio eius est, quod Sear Iasub significet viros bonos, qui erant discipuli Isaia*. Ex his habetur, Isaiæ fuisse vxorem, voluntariè, & absque vllo fundamento dici,

Adde, quoniam dictio *halmà*, licet ab Hebræis non recipiatur pro virgine, quos toto cælo errare, luce clariùs apparet per testimonia scripturarum superius allata: accipitur tamen ab eis pro iuuencula in tenera ætate constituta, vt ait Rabbi Dauid, וזאת היתה קטנה בשנים *& hac erat paruula atate*. Qua ratione motus ait, non posse de vxore Achaz regis intelligi, quæ cum mater esset Ezechiæ, non erat *halmà*, idest teneræ ætatis puella. Quæ ratio militat etiã contra eos qui dicunt prophetam loqui de vxore sua, quæ paritura pro signo affertur, cum halmà nec ipsa dicenda esset, etiam si propheta vxorem habuisset: nemo enim sibi persuadere posset, eo tempore Isaiam puellam habuisse coniugem.

Ad hæc. In capit. 8. dicitur quod antequã puer creuisset, in captiuitatẽ ducendæ erãt decẽ Tribus Israel. vt patet in illis verbis, בטרם ידע הנער קרא אבי ואמי ישא את חיל דמשק ואת שלל שומרון לפני מלך אשור betèrem iedàh hannàhar cherò aui veimmi, iissà eth chel dammèlech veeth salàl Someron lipnè mèlech

Nostra editio habet. Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram rege Assyriorum.

lech Assur. *Antequàm sciat puer vocare patrem meum & matrem meam, tollet opes Dammèsech, & spol a Someròn coram rege Assur.* Hoc autem impossibile est, si puer iste qui nasciturus promittebatur, filius fuit Isaiæ: quia cum captiuitate pressæ sunt decem Tribus Israel, quæ nomine Damasci & Someron seu Samariæ intelliguntur, puer, si tunc natus fuit, decimum septimum saltem agebat annum, quia tot annorum spatium intercessit à quarto anno regis Achaz, quando hæc prophetia prolata fuit, vsque ad tempus illud, in quo decem Tribus in captiuitatem abierunt: quomodo igitur verum erit, quod antequàm sciat puer vocare patrem, & matrem, idest priusque ad trium vel quatuor annorum ætatem perueniat, Israel in exilium deportetur? His rationibus coguntur Hebræi fateri in hoc Isaiæ vaticinio nullo pacto sermonem haberi posse de ipsius vxore tunc paritura, nec de aliquo alterius mulieris filio illis diebus ad lucem veniente.

Rabbi verò Dauid Chimchi in ea est opinione, vt hæc *balmà* sit regis Achaz vxor, licet dubius valde hoc asserere videatur, cum ipsemet afferat contra eam non parui roboris argumentum. quod & à Rabbi Salomone tanti æstimatur, vt propter illud nulla via in eam sententiam adduci potuerit.

rit. Eius verba sunt. ויש פותרים שעל חזקיהו נאמר ואי אפשר שהרי כשאתה מונה שנותיו תמצא שנולד חזקיהו לפני מלכות אביו תשע שנים Hoc est. *Sunt expositores asserentes, de Ezechia hoc dictum esse: istud autem est impossibile; si enim annos eius numeraueris, eum, antequam pater eius regnare coepisset, nouem annorum fuisse inuenies.* Quod autem vera sit Rabbi Salomonis ratio, patet ex libro 4. Reg. cap. 18. vbi habetur Ezechiam, cum in regio throno collocatus est, vigintiquinque annos natum fuisse: cœpitque statim post mortem patris sui regnare. Achaz vero pater eius sexdecim annos regnauit, vt legitur cap. 16. eiusdem libri. Ex hoc habetur, in principio regni ipsius Achaz, Ezechiam eius filium, nouem natum esse annos. quando autem Isaias dixit, *Ecce balmà grauida*, quartus erat Achaz regis annus, & Ezechias tertiumdecimum annum agebat. vnde impossibile est de vxore Achaz Ezechiem paritura locutum fuisse prophetam.

At, quod mirum est, ipsemet Rabbi Dauid Chimchi, huius sententiæ, nempe quod prophetia intelligatur de regis Achaz vxore, author fatetur filium, quem paritura erat illa *balmà* nullo modo esse Ezechiam, sic dicens. וזה הבן לא נוכל לומר כי הוא חזקיהו כי כשמלך אחז היה חזקיהו בנו בן תשע שנים וזאת הנבואה נאמרה לאחז בימי מלכותו והעלמה גם כן

אינה אם חזקיהו כי לא היתה עלמה כשנאמר נבואת זה. *Filium hunc dicere non possumus fuisse Ezechiam: propterea quod, cum regnum accepit Achaz eius pater, nonum ipse agebat annum; hæc autem prophetia, cum ille regnaret prolata est. porrò illa balmà nequit esse Ezechiæ mater, eo quod non esset iuuencula tunc cùm prophetia illa producta fuit.* Hæc Rabbi Dauid: qui suamet fundamenta destruit: eo quo fatetur non posse prophetiam hanc intelligi de matre Ezechiæ; hæc autem ipsius Achaz regis vxor erat, ergo falsum est dicere prophetam de vxore Achaz paritura locutum esse. Quod autem vxorem aliam habuerit Achaz, de qua verificentur verba prophetæ, absque ratione asseritur, nec in sacra scriptura habetur; quod certè cum maximi negocij sit, exprimendum erat.

Rabbi Isaac Abrabanel his rationibus conuictus vtramque sententiam reijcit, apertè asserens neque de Isaiæ, neque de Achaz vxoribus prophetiam esse interpretandam; sed quia maiore quàm cæteri omnes, iudaica perfidia tenetur, aliam viam seu potius fictionem adinuenit, dicens intelligi debere de secunda vxore regis Achaz, quam post Ezechiæ matrem accepit. Sed contra hoc inuentum facit id quod ipsemet ait interpretans vocem עלמה *balmà*. Est (inquit) מועטת

השנים

מעשה *paruula ætate*; non enim habetur in ſcriptura, neque eſt veroſimile regem Achaz poſt vxoris ſuæ mortem, cum iam ipſe prouectæ eſſet ætatis, puellam halmà quæ eſt duodecim vel tredecim annorum, duxiſſe vxorem. Quod cernens Rabbinus ait, poſſe intelligi de filia Achaz, quæ cum paruula eſſet, concepit ac peperit. At neque hoc vllum habet fundamentum, cum ex Rabbinis nemo hoc excogitauerit, neque in ſcripturis vllum huius rei appareat veſtigium.

Erit igitur noſtra catholica ſententia firma, immobilis, ac perpetua, nullam aliam niſi virginem ab Iſaia propheta hoc in loco adduci parituram. quod validiſſima ratione demonſtratur. Partus enim huius *balmà* affertur pro ſigno ac miraculo ad Dei omnipotentiam, quam impij inficiabantur, oſtendendam idoneo, vt ex textu patet: hoc autem aliquid ſupra naturæ curſum neceſſariò eſſe debet; nam ea, quæ ſecundùm naturalem ac quotidianum naturæ ordinem eueniunt, ſigna & miracula dici nequeunt: at ſi dicamus partum iſtum eſſe vxoris prophetæ, ſiue regis, ſiue etiam eius filiæ nuptæ, quis non videt, hoc nullum eſſe ſignum? quis vnquàm hoc pro miraculo reputabit? Virginis autem partus certè ſignum eſt, & magnum reuera miraculum. Hoc pollicitus

est propheta, cum dixit, *Dabit Dominus ipse vobis signum. ecce halmà concepit &c.*

Signum, ait Rabbi Salomon, fuit, quod Isaiæ vxor prophetiæ donum acquisierit. Hoc falsum est, nam propheta affert pro signo partum, non autem prophetiam. Rabbinus iste contorquet & corrumpit textum, in quo agitur de admirabili partu, qui pro signo habendus erat: propterea partus corruptæ mulieris esse non poterat, qui nec rationem signi habere valebat, nec aliquem in admirationem trahere. Potuisset namque Achaz respondere, prophetam irridens, huiusmodi signa & miracula quotidie videri, cum continuè mulieres concipiant ac pariant. Neque etiam si puerpera prophetasset, signum vel miraculum reputatum fuisset, nec propter id increduli ad credendum protracti essent: in promptu enim habuissent responsum, dicentes Isaiam docuisse vxorem suam aliqua futura, quæ ille à Deo didicerat, prædicere, ob quæ prophetissa reputaretur, nec intentum finem propheta ob id consequutus esset.

Non est prætereundem quod pro signo Rabbi Dauid Chimchi assignat: vt videant Iudæi quanta ipsorum magisti prędititi sint sapientia. Ait ומהו האות. חמאה ודבש יאכל כלומר מיום שנולד יאכל לדעתו חמאה ודבש וכל דבר מתוק שיקריבו לפניו הוא יפתח פיו לו ויקחהו ואם יקריבו

יקריבו לפניו. מאכל רע ימאסנו ויסגור פיו לו ולא ירצה בו Hoc est, *Et quod nam erit signum?* butyrum & mel comedet. *Ac si dicat, ex quo natus erit, comedet butyrum & mel: & quicquid dulce coram eo obtulerint, ipse aperiet os suum & accipiet: si vero offerent ei cibum aliquem prauum, abominabitur ipsum, & claudens os suum, gustare renuet.* oh pulchrum signum, oh profundam Rabbinorum scientiam. resipiscite miseri, cernite duces vestros cæcos, à quibus ducimini in quot foueas simul cum illis prolabimini.

CAPVT II.

De Messia natiuitate vaticinium hoc esse demonstratur.

REiectis igitur omnibus Rabbinicis figmentis, veritatem statuamus, quæ est de admirabili Messiæ nostri redemptoris natiuitate, de qua iure dicitur, *Dabit Dominus signum*, quia virgo præter naturæ ordinem paritura erat filium, qui mundi Saluator diceretur & esset; cuius salutis signum erat huius intemeratæ virginis conceptus. Quod manifestè hac ratione probatur. Puer iste, qui ex virgine nasciturus promittitur, tamquàm rex à propheta describitur, in il-

lis verbis, וחיח מטות כנפיו מלא רחב ארצך
Cap.8 עמנואל Vehaià muttoth chenaphàu melò rochab artsechà Immannuel. *Et erit extensio alarum eius plenitudo latitudinis terræ tuæ ò Emmanuel*. Ex magnitudine terræ, quam possessurus erat, cognoscitur rex. Quæ ratio tam fortis est, vt propter hanc Rabbi Dauid negauerit, puerum illum, contra id quod Rabbi Salomon sentiebat, fuisse filium Isaiæ, qui non fuit rex. Hunc autem regem non fuisse aliquem regis Achaz filium, iam ostendimus; relinquitur ergo, de Messia debere intelligi, qui rex appellatur a Zacharia cap. 9. *Ecce rex tuus venit tibi, &c.* & in psal. 71. dominator totius orbis describitur. denique Isaiæ cap. 9. de eo dicitur, *super solium Dauid sedebit*. Consequentia hæc valere debet apud Iudæos: nam eorum Rabbini docent, scripturas quæ difficiles explanatu sunt, quibus propriæ personæ assignari nequeunt, ad Messiam referendas, de quo dictæ esse censendæ sunt. patet hoc in libro *Rabboth* super capite 38. Genesis & alibi.

Sed ad maiorem dilucidationem, vt fortius Hebræi arctentur, & mysterium hoc fateri cogantur, tria, quæ ab eis negari non possunt, præponenda sunt; ex quorum intellectu facilis erit huius veritatis probatio. Primum quod supponitur, est, à sacra scri-

ptura

ptura alienum non esse, neque nouum aut insolens esse iudicandum, prophetas, cum de qualibet re verba faciunt, etiam de Messia loqui, atque ad ipsum quasi ex improuiso sermonem conuertere; est enim Christus siue Messias totius scripturæ finis, propter quem à Deo missi sunt prophetæ, vt habetur ex Rabbinis. Cuius rei plura afferri possunt non tantùm in prophetis, sed & in tota diuina scriptura exempla. Genesis cap. primo agitur de luce, quam Deus initio mundi produxit; quo in loco mentionem Messiæ fieri docent Rabbini in libro *Rabboth* super eundem versum, ac in libro *Ialcut* super cap. 60. Isaiæ. In maledictione serpentis habetur sermo de Messia, vt videre est apud Targùm Ierosolimitanum in id, *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, Genesis cap. 49. Cum Iacob filijs suis loquens, illis illorumque posteris euentura prænunciaret, multoties ad Messiam verba conuertit, & ea præcipue, *Salutare tuum expectabo Domine*. In lib. Num. cap. 24. Balaam cum de rebus Balac Moabitarum regis ageret, de Messia, eiusque aduentu locutus est, dicens, *Videbo eum, sed non modò: intuebor illum, sed non propè*. Isaias cap. 16. cum contra Moab prophetaret, Messię aduentum postulans, ait, *Emitte agnum dominatorem terræ*. quem locum de Messia intelligi, para-

phrasis chaldaica testatur. Et in cap. 45. loquens de Cyro Persarum rege, statim Messiæ aduentum implorat, dicens, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum*. de quo supra dictum est. Ierem. Tren. cap. 1. Iudæorum vastitatem plorans, verba ad Messiam spectantia interserit; cum ait *Elongatus est à me consolator*. Rabbini consolatorem hunc dicunt esse Messiam. quamquàm re vera, cum sermo ibi sit de ingenti Hebræorum miseria, quam in Babilonica captiuitate patiebantur, pro quocunque consolatore accipitur. In psalmis clarius quàm alibi, præcipue psal. 30. cuius titulus ostendit qua de re in eo agatur, nempe de templi dedicatione à Dauide esse editum: tamen de Messia ibi haberi sermonem clarissime patet. multique alij sunt psalmi, qui pro filijs Core inscribuntur, de Messia agunt; sicut & de Salomone ac plerisq; alijs videntur in fronte loqui, tamen de Christo & à Rabbinis & à nostris doctoribus exponuntur. Daniel capite 9. orauit, vt liberationem populi à Babilonica seruitute impetraret, exauditus est, & de Messia eiusque aduentus tempore certior factus. Hoc totum propter Iudæos asserimus, ne obijcere possint dicentes, in hoc Isaiæ cap. 7. sermonem haberi de temporali ereptione vrbis Ierusalem à duobus illis regibus eam obsidentibus, ac propterea

vanum esse illud Messiæ eiusque natiuitati adaptare. Si enim hoc vanum esset, neque in locis assignatis multisque alijs posset scriptura alium præter extrinsecum sensum habere, quod tamen falsum esse ostendimus. pari ergo ratione in hoc duplicem assignabimus intelligentiam, alteram quæ habetur in cortice literæ, alteram ex primaria prophetarum intentione, quæ est de Messia.

Secundum, quod præmittitur, est, in diuina scriptura sæpe accidere, quædam de aliquo affirmari, quæ illi nullatenus conuenire possunt. Patet hoc ex cap. 45. Isaiæ, vbi Cyrus Persarum rex appellatur Christus, qui reuera non fuit Christus, idest vnctus, erat enim gentilis, & ob id vnctionis oleo indignus: sed eo nomine nuncupatur, quia licet quantùm ad literæ superficiem de Cyro videatur propheta loqui: tamen re vera de Messia est explanandus, ex testimonio etiam veterum Rabbinorum in libro *Ialcut*. Psalmus 71. habet in titulo Salomonem, at de Christo exponit ipsum Chaldæus Paraphrastes. Genesis cap. 38. promisit Iacob Esau fratri suo, ad montem Sehir, qui ipsius Esau erat domicilium, profecturum: certè non iuit. nunquid mentitus est? respondent Rabbini, hoc de Messia intelligi, qui id quod Iacob pollicitus fuit, adimplebit. Ex hoc habemus, nullam Hebræis causam dari nostram

ſtram hanc expoſitionem reijciendi; quia cum huius virginis partum inueniamus ab Iſaia prædictum, nec de aliqua tunc viuente muliere exponi ac verificari queat, vt ſupra oſtendimus, ad Meſſiam confugimus tamquàm ad præcipuum totius ſcripturæ ſcopum, de quo omnia quæ de alijs ſcripta ſunt, quibus nullo modo accommodari valent, verificantur.

Tertium denique ſuppoſitum eſt, non omnia, quę hic habet propheta, literaliter vt ſonant, intelligenda eſſe, ſed aliqua ſecundùm ſpiritualem ſenſum ſunt interpretanda; quod ſic oſtenditur. In octauo capite ait propheta de puero naſcituro, *Antequam ſciat puer vocare patrem & matrem, auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum*, hoc eſt, in captiuitatem ducentur ab Aſſyrijs decem Tribus Iſrael: ac de eodem dixerat in præcedenti capite, quod erat ſignum liberationis regis Achaz à duobus regibus, Iſrael, & Syriæ, in illis verbis, *Antequam ſciat puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra à facie duorum regum.* eſt enim idem puer in vtroque capite, vt ait Rabbi Salomon, de quo bis loquitur propheta, quia vtriuſque rei ſignum eſſe debebat, nimirum & liberationis Ieruſalem, & captiuitatis Samariæ. Hoc autem omninò eſt impoſſibile, ſi ita vt verba ſonant,

sonant, literaliter accipiantur; quia ab illo anno, in quo puer nasci debebat; vsque ad tempus illud, quo decem Tribus in captiuitatem ductæ sunt, decem & octo anni decurrerent. Quomodo ergo verum erit, quod antequam sciret puer vocare patrem & matrem, spolia Samariæ auferenda erant? Si autem dicatur nasciturus fuisse duobus vel tribus annis ante prædictam captiuitatem; tunc non concordabitur illud, Antequam sciat reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra Ierusalem libera ab obsidione, qua tenebatur. quia si admittamus eum ante captiuitatem Samariæ natum, cum hæc decem circiter & octo annis post vrbis Ierusalem liberationem acciderit, non rectè dicetur, antequam sciat puer reprobare malum, idest antequam ad liberij arbitrij vsum perueniat, Ierusalem fuisse derelinquendam, fuit enim antequam puer nasceretur, derelicta. Ex his patet ea quæ hic habentur, non esse literaliter exponenda.

Deinde, esse aliqua spiritualiter intelligenda, demonstratur ex illo Isaiæ filio, qui *sear iasub* dicebatur, quem, vt supra diximus, testantur Rabbini non fuisse eius filium, sed discipulum, seu discipulos eius eo nomine designari: habemus ergo spiritualem sensum.

Ter-

Tertio. loquitur propheta de accessu ad prophetissam, quæ concepit & peperit, hoc, vt litera sonat, intelligi nequit: dicit enim propheta, se assumpsisse testes; nefas autem est credere, ad rem veneream prophetam testes adhibuisse; nec eos quos nominat, adhibere poterat, cum non dum nati essent. at de hoc infra dicemus. Igitur non secundùm extrinsecum sonum, sed iuxtà spiritualem intellectum hæc explananda sunt. Quod tertio loco præsuppositum est, ad hoc nos iuuabit, vt cum huius vaticinij dilucidationem attulerimus nullam habeat Iudæus irridendi occasionem, si sensum spiritualem proferemus.

Nunc igitur probandum est, quicquid de muliere pariente, ac de puero nascituro propheta loquitur, de Messia eiusque matre necessariò esse explanandum & intelligendum. Sic syllogizando procedamus. Quidquid in capite septimo de illa *balmà*, & in octauo de prophetissa dicitur, non potest alicui ex mulieribus eo tempore viuentibus à Rabbinis assignatis adaptari; non vxori regis Achaz, neque vxori prophetæ, neque filius nasciturus potuit esse Ezechias filius Achaz, nec aliquis Isaiæ filius, vt superiùs ostensum est: ergo de Messia debet exponi. quod patet per ea quæ in secundo præsupposito

posito dicta sunt. Sicque illa *balmà* ac prophetissa mater est Messiæ, quę virgo existens, ipsum paritura erat.

Confirmatur. Messiæ namque conuenit nomen Emmanuel. idest nobiscum Deus. futurus enim erat Messias non purus homo, vt Iudæi credentes falluntur, sed homo simul & Deus, qui humanitatem assumens, eam sibi in sua persona vniuit, & ob id nobiscum Deus appellatur. Quod idem vates in cap. 9. expressit dicens, hoc inter cætera nomen esse Messiæ, אבי עד *Aui bad*, idest, *pater æternitatis*, qui non potest nisi Deus esse. De eo pariter verificatur nomen in octauo capite impositum, quod est, festina, prædare, חש בז chas baz, *accelera prædam*. Ad hoc enim in terram venturus erat, vt homines qui diaboli præda facti erant, ab eius eriperet potestate; quod clarè noster Isaias docuit in cap. 9. dicens, כי את על סבלו ואת מטה שכמו שבט הנגש בו החתות כיום מדין Chi eth hol subbolò, veeth mattè sichmò sèuet hanoghès bo hachittòtha cheiòm midian. *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, sceptrum exactoris in eo confregisti, secundum diem Midian.* Hoc fuit præcipuum Messiæ munus, hoc bellum bellaturus erat: non armis materialibus, vt Iudæi somniant, sed spiritualibus, Dei verbo & virtute. quod videtur ex eo, quia propheta describens mo-

Sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian.

dum

dum quo Messias confracturus erat diaboli jugum, virgamque, qua homines sibi seruos percutiebat, sceptrumque ferreum, quo eos regebat, ait futurum fuisse sicut in die Madian; quando videlicet Gedeonis milites licet numero pauci, mirabili tamen modo de Madianitarum exercitu maximo victoriam reportarunt. hoc autem fuit non ense, arcu, & sagitta, sed tuba, lucerna, & vasis fractis. Tali certè modo Messias redemptor noster mundi victoriam consecutus est, ac à diabolo prædam abstulit: non in curribus & equitibus, sed tuba, prædicatione, ac verbo Dei, quod lucerna est pedibus nostris. Hoc idem propheta docuit in cap. 25. sub his verbis ובלע בהר הזה פני הלוט הלוט על כל העמים והמסכה הנסוכה על כל הגוים Vbillah bahar hazzè penè hallot hallot hal col hahammim, vehammassechà hannesuchà hal col haggoiim. *Et perdet in monte hoc faciem operimenti operti super omnes populos, & tegmen opertum super omnes gentes.* Per faciem operimenti intelligit rete à diabolo super omnes animas expansum ad eas irretiendas; quod etiam nomine telæ seu tegminis exprimit. ad hæc destruenda in monte hoc, in mundum hunc venturus erat Christus. quod re ipsa compleuit, vti videmus. In cap. 26. sub alijs verbis idem ostenditur, dum ciuitatem sublimem Messias describitur destructu-

Editio nostra habet. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telã quam sortitus est super omnes nationes.

structurus. Ait כי השח יושבי מרום קריה נשגבה ישפילנה ישפלה עד ארץ יגיענה עד עפר: תרמסנה רגל רגלי עני פעמי דלים Chi hesàch iosebè maròm, chiriá nisgabá, iaspilènná: iaspilá had èrets, iagghihènna had haphár: tirmesènna rághel, raglè hanì, pahamè dallìm. *Quia incuruabit habitatores excelsi, ciuitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usq. ad terram: peruenire faciet eam usque ad puluerem. conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.* Qui nàm sint habitatores excelsi, docet Rabbi Salomon, qui ait esse רומי ואיטליא *Romam atque Italiam*, sed Romam præcipuè, quæ ciuitas sublimis est, in septem collibus extructa. de hac victoriam reportaturus erat Messias, qui appellatur pauper. pedes pauperis, ait Rabbinus מלך המשח שנ׳ בו עני ורוכב על חמור idest, *regis Messiæ: sicut de ipso scriptum est Zach. cap. 9. Pauper & equitans super asinum.* Gressus egenorum, inquit, sunt Israel, idest Iudæi, sed hi fuerunt Apostoli è Iudæorum stirpe nati, quorum pedes conculcauerunt vrbem sublimem, dominam gentium, prouinciarum, ac orbis totius. in qua tanquàm in arce munitá clausa tenebatur nobilior ac preciosior hominum præda. Hanc Christus abstulit, pes pauperis, pedes pauperum Christi pauperis discipulorum vrbem conculcarunt, eamque omni præda spoliantes ad terram

ram vſque detraxerunt, ac vexillum crucis erigentes Chriſtum dominum adorandum prædicarunt, qui ab vniuerſis verus mundi redemptor veruſque Deus, eiectis demonum ſimulacris, creditur, adoratur, & colitur.

Præterea, puer de quo hic agitur, idem ille eſt, de quo in cap. 9. dicitur *Puer natus eſt nobis*. hoc fatentur omnes: propterea Rabbi Dauid Chimchi eundem, ſicut in capite 7. Ezechiam filium regis Achaz interpretatur. ſed in hoc toto cœlo errat. at cum eundem filium dicit, verum vtique dicit. hic autem eſt Meſſias: ergo & ille eſt Meſſias. patet ſequela. minor autem propoſitio eſt Chaldæi paraphraſtæ, ac veterum Rabbinorum in libro *Rabboth*, in expoſitione prioris capitis Deuteronomij, vbi hæc habent. עד עכשו יש לי להעמיד מלך המשיח שכתוב בו ילד ילד לנו. *Vſque nunc meum eſt* (dicit Dominus) *conſtituere regem* Meſſiam, *de quo ſcriptum eſt*, Infans natus eſt nobis.

Nouiſſimè probatur noſtra catholica ſententia. quia propheta de virgine paritura loquens, ait, הנה העלמה *hinne habalmà*, cum litera ה *he* emphatica & demonſtratiua. ſignum euidens eſt, eum de quadam inſigni ac celebri virgine loqutum eſſe. quæ autem inſignior ac celebrior virgo, quàm mater Chriſti domini, mater regis angelorum? de hac procul dubio ſermo di-

uinus

minus est, nec alia ab humana mente concipi potest. Obstruatur ergo os loquentium iniqua, Iudæorum diuinum hoc mysterium ignoranter ac impiè negantium.

CAPVT III.

Exponuntur ea, quæ dicuntur in capite octauo Isaiæ de virginis partu.

Sed quoniam, vt diximus ex Rabbi Salomone, idem puer prædicitur nasciturus in octauo capite, de quo dictum erat in septimo, ex verbis quæ ibi habet propheta, maiorem pro nostra catholica veritate firmabimus rationem, Rabbinosque confundentes, qui mulierem parituram dixerunt vxorem Isaiæ fuisse. Prophetæ verba hæc sunt, ואעידה לי עדים נאמנים את אוריה הכהן ואת זכריהו בן יברכיהו ואקרב אל הנביאה ותהר ותלד בן Vehahida li hedim neemanim, eth Vriah haccohen, veeth Zechariahu ben Ieberechiahu, vaecrab el hannebiá, vattahar, vatteled ben. *Et testificari feci mibi testes fideles, Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium.* Ex quibus verbi luce clariùs apparet, huius prophetissæ nomine nullo pacto accipi posse Isaiæ vxorem, istumque ac-

Vulg, *Et adhibui mihi testes fideles, &c.*

cessum conceptum & partum iuxtà mentem & expositionem Rabbinorum intelligendum esse; incongruè enim & indecenter, immò tupissimè ad carnalem cõgressum propheta testes assumpsisset: cum hoc neque impudentissimus ac perditissimus quisquam facere consueuerit. Nec etiam potuisset assumere, testes illos, quos nominat, cum eo tempore nondum in hanc lucem venissent, nec eius essent contẽporanei Etenim Vrias floruit ac prophetauit tempore Iohachim regis Iudæ, à quo occisus est, vt habetur apud Ieremiam cap. 26. Iohachim autem centum quadraginta annis post huius prophetiæ prolationem regnare cœpit. Zacharias verò ducentis annis post eam natus est: fuit enim tempore quo secundum templum iam extructum erat. non igitur Isaiæ testes esse potuerunt.

Quid ergo dicemus? erunt ne testes virginei partus de quo loquimur? neque hoc videtur dicendum: si enim testes Isaiæ esse non potuerunt, quia eius ætate non dum nati erant; neque virginis Mariæ partus testes fuerunt, quia iam ex hac vita discesserant. Ideo pro intelligentia sciendum, testes illos non personales fuisse, qui personaliter comparere & proprijs corporeis oculis, quod faciendum erat, cernere debuissent: hoc enim impossibile fuit propter eam, quam attuli-

attulimus, rationem: ſed dicuntur teſtes, quia eorum prophetiæ teſtimonium reddiderunt vaticinio Iſaiæ. Hoc expreſsè habetur ex Chaldaica paraphraſi, ita verba ſuperius allata interpretante ואסהיד קדמי סהדין מהמנין ית לוטיא דאמרית לאיתאה בנבואת אוריה כהנא והא אתו אף כן כל נחמתא דאמרית ליאתאה בנבואת זכריה בר יברכיא אנא עתיד ליאיתאת ועלית לות נביאתא. Veashid codamài ſchidin mehemnin iath leuathaijà daamarith leethaà binbuàth Vrijà cahanà, vehà athò, aph chen col nechamathà daamarith leethaà binbuath Zecharià bar Ieberechià, anà hatìd leethaà, vehalith leuath nebiathà. *Et conteſtatus ſum coram me teſtes fideles de maledictionibus, quas dixi vt inducerem in prophetia Vriæ ſacerdotis. ecce venerunt. & etiam omnium conſolationum, quas dixi in prophetia Zachariæ filij Barachiæ, ego adducturus ſum. & acceſſi ad prophetiſſam, &c.* Ex quibus verbis habetur non prophetas iſtos, ſed ipſorum prophetias pro teſtibus adduci ſuper ea quæ dicuntur, ſiue bona, ſiue mala ſint, ſecundùm ea, de quibus Paraphraſtes intelligit prophetam eſſe locutum. hoc eſt id, de quo Iſaias prophetauit, confirmādum erat ab iſtis duobus prophetis, cum euentura prænunciaturi eſſent. Non igitur de Ezechia filio regis Achaz naſcituro, neque de ipſius Achaz vxore paritura, neque

de eius filia, prægnante locutus est Isaias, nec etiam de sua vxore, de quibus nihil vnquàm in istorum prophetarum scriptis reperitur testificatum, nec aliquid vnquàm de illa vrbis Ierusalem liberatione ab obsidione, de qua loquitur Isaias, dixerunt. Atque nedùm testes personales ipsi Isaiæ non fuerunt, sed neque eorum scripturæ quicquam de ijs, de quibus Iudæorum Rabbini somniantes dixerunt, Isaiam fuisse locutum, testificantur.

Si autem quis dicat, reuera non de Achaz, neque de Isaiæ vxore illos esse testes, sed de hebræorum consolationibus tempore Messiæ futuris, vt habetur ex Chaldaica paraphrasi. Respondemus hoc verum esse: immò nostrum intentum probatur, de Messia hic esse sermonem, eiusque redemptione, quam ex virgine nascens, vt mundus à peccato pro peccatis hominum moriens operaretur, sicque populum suum consolaretur: qua ratione מנחם *Menachèm*, idest, consolator à Rabbinis appellatur.

Videndum est modò quis nàm sit Vrias iste de quo Isaias loquitur: non enim habemus aliquam Vriæ publicam prophetiam. A veteribus Rabbinis docemur, hunc esse Michæā, ex duodecim minoribus prophetis vnū, seu Michææ propheticā eam esse quæ est Vriæ. In libro *Talmud*, tractatu מכות *macòth*

coth, capite, quod incipit אלו חן הלוקין ita referunt, פעם אחת היו עולים לירושלים כיון שהגיעו להר צופים קרעו בגדיהם כיון שהגיעו להר הבית ראו שועל שהיה יוצא מבית קדשי הקדשים התחילו הם בוכים ור׳ עקיבא משחק אמרו לו עקיבא מפני מה אתה משחק אמר להם מפני מה אתם בוכים אמרו לו מקום שכתוב בו והזר הקרב יומת עכשיו נתקיים בו על הר ציון ששמם שועלים הלכו בו ולא נבכה אמר להם לכך אני משחק דכתיב ואעידה לי עדים נאמנים את אוריה הכהן ואת זכריה בן ברכיהו. וכי מה ענין אוריהו אצל זכריהו והלא אוריה במקדש ראשון וזכריה במקדש שני אלא תלה הכתוב נבואתו של זכריה בנבואתו של אוריה באוריה כתוב בגללכם ציון שדה תחרש וירושלם עיין תהיה והר הבית לבמות יער: בזכריה כתוב עוד ישבו זקנים וזקנות ברחובות ירושלם. עד שלא נתקיים נבואתו של אוריה הייתי מתירא שמא לא תתקיים נבואתו של זכריה עכשיו שנתקיימה נבואתו של אוריה בידוע שנבואתו של זכריה מתקיימת. ובלשון הזה אמרו לו עקיבא נחמתנו

Hoc est. *Quadam vice ascenderunt in Ierusalem* (quatuor Rabbini, Rabbi Gamaliel, Rabbi Eleazarus, Rabbi Iosuè, & Rabbi Achibà) *cùmque ad montem sophim seu speculatorum peruenissent, sciderunt vestimenta sua: cum autem montem templi attigissent, viderunt vulpem è sanctuario exeuntem, ac flere coeperunt tres primi* Rabbini; *at* Rabbi *Achibà ridebat. Cui dixerunt, quare rides? Dixit eis, Vos autem quare fletis? Respondernnt. locus de quo scriptum est*, Et

Num. cap. 1. Tren. cap. 5. alienus qui accedit, morietur. *nunc impletum est de eo,* super montem syon, qui desertus est, vulpes ambulauerunt in eo. *& non plorabimus?* Dixit eis Rabbi Achibà, *Hac de causa ego rideo. Scriptum est enim,* Et contestatus sum mihi testes fideles, Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ. *Quod nam autem est negocium Vria apud Zachariam? Vrias floruit tempore quo primum templum extabat, Zacharias autem in secundo templo vixit. At scriptura suspendit prophetiam Zacharia in prophetia Vria. In*

Mich. cap. 3. *Vria enim scriptum est,* Propter vos syon quasi ager arabitur & Ierusalem aceruus erit, & mons domus Dei in excelsa siluæ. *In*

Zach. 2 *Zacharia verò scribitur,* Adhuc habitabunt senes & vetulæ in plateis Ierusalem. *Quousque non fuit adimpletum vaticinium Vria, timui ne fortè non adimpleretur prophetia Zacharia. nunc autem postquam Vriæ prophetia completa est, constat quod pariter Zacharia prophetia verificabitur. Hac audita expositione, dixerunt illi, Achibà consolatus es nos.*

Ex his verbis habemus, vel Vriam esse Michæam, vel illius prophetiam istius esse verba. quia cum Rabbini isti Vriæ testimonium producere velint, Michææ verba, quæ sunt, *Propter vos syon quasi ager arabitur &c.* in medium proferunt. Nec tamen veritatem

ritatem habet quod sequitur Rabbi Achiba, adimplendam esse Zachariæ prophetiam, in qua consolationes sibi promitti putant, per illa verba, *Adhuc habitabunt senes & vetulæ in plateis* Ierusalem: eo quod eam, quæ est Vriæ, idest Micheæ adimpletam cernunt; hoc enim sibi meruerunt illorum peccata, propter iniustitias enim suas humiliati sunt, & ex paterno solo eiecti, quod vulpium ac ferarum factum est domicilium. ac propter eadem peccata Zachariæ verba non complebuntur, cum sicut & cæteræ Dei promissiones cum conditione intelligi debeant, videlicet si ipsi peccare desistent, si legem Dei seruabunt & præcipue si in Christum credere non renuent. quæ cum facere nolint, bona omnia promissa frustrà expectant.

Vel dicendum, in secundo templo fuisse hoc adimpletum, quando post reditum à Babilonica captiuitate, senes & vetulæ omnesque ex Israel, vt habetur apud Esdram pacificè in Ierusalem habitauerunt. *Esdr.* 2. c. 8.

Remanet modò quærendum, in quo fuerint isti duo prophetæ contestes Isaiæ in ijs, quæ ad Christum pertinent. Notandum ergo est, Prophetam Isaiam (quem admodum ex contextu septimi & octaui capitis apparet) populo Iudæorum, regique Achaz liberationem ab ea, qua tunc detinebantur obsidione persuadere velle; erat enim rex il-

le infidelis & incredulus, Deum ab illo periculo eum eripere posse minime credens. Hoc ipse ostendit argumento à maiori ad minus, à mysterio diuinæ incarnationis, quod futurum prædicebat, annuncians Deum humanam carnem assumpturum, ac propterea vocandum עמנואל *Immannuel*, nobiscum Deus. Vnde apertè demonstratur Dei potentia, benignitas, ac misericordia, ex eo quod illos eripere poterat, & misericorditer, quamuis non mererentur, eripere volebat. Probatur potentia non modò à simili, sed etiam à maiori ad minus. Ac si diceret. Vos non creditis posse Deum hanc vrbem ab obsidione liberare: ego autem vobis dico, parum est hoc eius omnipotentiæ; in cuius signũ maiora videbitis: ipsummet Deum hominem factum in terram descendere & cum hominibus conuersari cernetis; atque vt suam potentiam ac fortitudinem ostendat, cum humani generis hoste pugnabit, ab eoque prædam auferet & spolia. de quo Isaias cap. 49. agit dicens, גם שבי גבור יקח ומלקוח עריץ ימלט Gàm sebì ghibbòr iuccàch, vmalcòach harits immalèt. *etiam captiuitas fortis tolletur, & præda robusti euadet*. Ac propterea vocetur nomen eius מהר שלל חש בז maher salal, chas baz. *festina spolium, accelera prædam*. Dicendo, festina spolium, liberationem intelligit à temporali obsidione, qua

ne, qua

ne, qua tunc Ierusalem premebatur. Cum vero subdit, חש בז chas baz, *accelerauit prædam*, de secunda redemptione loquitur longè quàm prima, maiore. prædam enim totius mundi quam diabolus terræ tyrannus sibi arripuerat, ex eius manibus abstulit, omnesque homines liberauit ac redemit, ex quo Dei potentia dignoscitur. Benignitas quoque Dei in hoc opere ostenditur: vnde argumentum sumit propheta ad ostendendum Deum non solum posse, sed velle eos ab illa temporali calamitate saluare. Maiora, inquit, facturus est: descendet namque de cœlo, inter homines verus homo apparebit, hominum salutem operabitur, etiam si eum mori oportebit, immò re vera mortē subibit, vt hominibus vitam acquirat, & idcircò vocetur nomen eius עמנואל *Immanuel*, nobiscum Deus. Deus, qui nostra indutus carne, nobiscum homo triginta tres annos moratus est. Si igitur huc vsque diuina pertinget benignitas, vt ad redimendum à morte hominem ipse fieri velit homo, quantò magis de hac parua miseria, de regum istorum obsidione liberabit? Ad ostendendum itaque hanc proximè futuram liberationem, vt eam rex ac populus crederent, loquitur propheta de filij Dei incarnatione, de ipsius in terram descensu, vt homo ac verus Emmanuel fieret, ac de præda, quam à diabolo

diabolo ablaturus erat: atque de his duobus affert hos duos testes, Vriam siue Michæam, & Zachariam prophetas.

CAPVT IV.

Ostenditur Michaam & Zachariam verè fuisse contestes Isaiæ in diuina incarnatione, ac in præda à diaboli manibus ereptâ.

CHristum ad homines saluandos à Deo destinatum, purum hominem reputant Iudæi: at eorum perfidia conuincitur ex pluribus scripturæ locis, ex quibus constat Messiam seu Christum Deum verum futurum fuisse, qui carnem assumens, Deus & homo videndus erat. Ex hoc igitur propheta Michæa nunc veritatem hanc demonstrabimus; qui in cap. 5. vbi de Messia in Bethleem ciuitate Iudæ nascituro, ad ipsam sermonem dirigens, ipsique congaudens, ait ואתה ביתלחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל ומיצאותיו מקדם מימי עולם Veattá Bethlèchem Ephráta tsahir lihioth bealphè Iehudá: mimmechá li ietsè lihioth mosel beisrael, vmotsaothâu micchèdem mimè holám. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es, vt sis in millibus Iudæ: ex te mihi egredietur vt sit dominator in Israel; & egres-*

& egressus eius ab initio à diebus saeculi. Ex quibus verbis clarè diuina incarnatio habetur, cùm dicitur Christus ex Bethleem egressurus, hoc est in Bethleem nasciturus, & consequenter homo futurus. at ne homo tantummodo esse credatur, subdit, Et egressus eius ab initio, à diebus aeternitatis. Ac si dicat, Ne putes cùm in Bethleem nascitur, tunc esse incipere: fuit enim antequàm nasceretur. immò ab aeterno fuit, à diebus aeternitatis, antequàm ex matris vtero egrederetur, ex vtero patris exiuit, iuxtà illud, *Ex vtero ante luciferum genui te*: fuit igitur Deus, cum nemo nisi Deus ab aeterno esse dici possit. En locus insignis contra Iudaeos ad ostendendam diuinam incarnationem ac Messiae diuinitatem; vt habet B. Io: Chrysostomus in sermone, quod Christus sit Deus, sic dicens; Et tu Bethleem in terra Iudaea, nequaquàm es minima in principibus Iuda: ex te enim egredietur dux, qui reget populum meum Israel: & exitus eius ab initio, à diebus seculi. en diuinitatem & humanitatem indicat. Nam cum dicit, & exitus eius ab initio, & à diebus seculi, substantiam declarauit, quae ante saecula fuit. Cum autem dicit, egredietur dux, qui reget populum Israel, natiuitatem secundùm carnem docet. Haec ille. Sed alia via ostenditur haec diuina incarnatio, Christique diuinitas, accipiendo

vide-

videlicet pro voce illa, exitus, siue egressiones, transitiuas actiones ab ipso Deo in creaturas, vt reuera sonat vox hebraica מוצאות *motsaoth* idest, *productiones*. venit enim *motsaoth* à verbo יצא *iatsa*, quod licet exire significet, tamen in coniugatione hiphil denotat exire facere, proferre, producere. igitur מוצאות *motsaoth* sunt productiones, seu effectus producti. Ait propheta, Hũc, quẽ in Bethleẽ nasciturũ annuncio, scitote Deum creatorem esse, productiones eius ab initio à diebus antiquis, ab initio mundi produxit omnia quæ sunt. ostenditque se loqui de egressionibus filij Dei actiuè, de productionibus, quibus creaturas produxit. omnia enim per ipsum facta sunt. Videtur itaque sermo esse non de filij Dei æterna natiuitate qua ex patre ante sæcula natus est. quod patet, quia non ait, exitus eius in singulari, tunc enim dicere possemus, eum de filij à patre exitu seu ortu esse locutum; sed cum dicat exitus seu egressiones in plurali numero, non potest de diuina generatione, quæ non nisi vna est, intelligi. Deinde, non vtitur voce יציאה *setsia*, quæ propriè exitum denotat, sed מוצאה *motsaa*, quæ productionem significat, à verbo הוציא producere, quo vtitur scriptura cap. 1. Gen. in id, *Producat terra animam viuentem*. Et ideo sensus erit, Hic qui nunc ex Bethleem exit, idest qui in terra

nascitur

nascitur homo, multò priùs alio modo exiuit ad creationem eorum quæ sunt, mundum suum creans, ac omnia, quæ in eo sunt, producens. Atque hinc demonstratur diuina incarnatio, Messiæ diuinitas, quia mundi creator asseritur. At si mundi creator in terra erat nasciturus, homo perfectò futurus erat, carne induendus humana. Et hæc est incarnatio clarè à Michæa demonstrata iuxtà hanc verborum eius expositionem. sicut & alia via procedendo, nempe vt per ea prophetæ verba Messiæ æternitas indicetur, idem probatur. eo quod Messiæ egressiones ab æterno, a diebus æternitatis esse ait, eius diuinitas luce clariùs ostenditur.

CAPVT V.

Rabbinorum peruersa horum verborum expositio refellitur.

Clarissimum hunc locum obscurare nititur Iudæorum perfidia, ineptissima eorum explanatione: quæ à Rabbi Dauid Chimchi sub his verbis affertur. חה׳ו אל שהוא מימי קדם מימי עולם. יש עליהם תשובה כי הוא לא משל בישראל אבל חם משלו בו. ומה שאמר כי מי היה מימי קדם אלא אל זהו שקר כי האל קודם ימי עולם היה. והם אומרים כי מקדם מימי עולם היו מוצאותיו כלומר כי אז יצא והאל קדמון בלי ראשית:

ומה

ומה שאמר כי מעולם ועד עולם אתה אל ר״ל מטרם עולם. כמו שאמר מטרם הרים יולדו. וכן מעולם נסכתי מטרם עולם. כמו שאמר עד לא ארץ וחוצות

Postquam Rabbinus interpretatus est verba proposita de Dauide, dicens, dominatorem hunc Messiam, ideo à Bethleem exiturum dici, quia ex Dauidis Bethleemitæ stirpe oriturus erat: ac propterea subiungi, egressiones eius esse ab antiquo, idest à Dauide, inter quem & Messiam multum temporis spatium intercessit. Quæ expositio vana ac prorsus falsa judicanda est; cum verba, quibus propheta vtitur, aut initium mundi aut æternitatem significent, ostendendo Messiam ab initio mundi habuisse productiones, idest, vt diximus, produxisse mundum, aut ab æterno egressiones, idest egressum esse ex patris vtero, ante sæcula genitum. Dauid autem neque ante mundi creationem fuit, neque ipso creationis initio, sed post quàm plurima annorum curricula in hanc lucem venit. Suddit postea nostram catholicam explanationem, quam verbis hebraicè adductis impugnat, quæ sic latinè redduntur, *Et iste est* Deus. Hoc est, *Christiani aiunt quod Messias est* Deus, *quia dicitur fuisse ab æterno à diebus* antiquis. *Est contra eos responsio. quoniam ille* (idest Iesus) *non est dominatus in* Israel; *quin potius ipsi* (Hebræi) *dominati sunt in eum* (persequendo

& cru-

& crucifigendo) *Quod verò dicunt, quis fuit à diebus antiquis nisi Deus? falsum est hoc; nam Deus ante dies sæculi fuit. ipsi autem asserunt, quod ab antiquo, à diebus sæculi fuerunt egressiones eius, quasi dicant, quod tunc exiuit. Sed Deus est æternus sine principio. Quòd autem adducunt,* quoniam à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus. *vult dicere, à sæculo, idest, ante sæculum, sicut ait,* priusquam montes fierent, seu gignerentur. *& ita,* A sæculo principatum habui. *significat ante sæculum. quemadmodum suddit* Adhuc non fecerat terram & plateas. *Psal. 89.* *Ibidem* *Prou. 8*

Duo Rabbinus iste intendit. primò probare se putat Dominum Iesum non fuisse dominatorem illum, de quo Michæas loquitur, eo quod dominatus non sit in Israel, neque principatum inter hebræos habuerit; sed è contra ipsi in eum seuierunt, crucifigentes ac morti tradentes. Deinde ait, ex hoc loco probari non posse Messiæ diuinitatem, quia solùm dicitur à diebus antiquis fuisse.

Ad hoc secundum, cum sit maximum, totisque viribus à Iudæis retentum ac defensum primò respondeamus; postea Iesum Dominum nostrum verum dominatorem fuisse, ac super eos regnasse ostendemus. Arbitratur Rabbinus ex Michææ verbis allatis non haberi Christi diuinitatem, diuinamque

que incarnationem, eò quod non dicitur Messias fuisse ante omnes dies, sed tantùm à diebus antiquis: hoc autem inquit non sufficere vt sit Deus, quia Deus ante omnes dies fuit. Sed ex ipsiusmet verbis habetur huius argumenti solutio. Inquit enim, loca illa ab ipso citata, psal. 90. *A sæculo & vsque in sæculum tu es Deus*, sic intelligi, quod à sæculo, idem est, ac antè sæculum. hebraicè dicitur מעולם *meholàm*, cum litera מ *mem*, quæ significat præpositionem *a, ab, ex, de*; ipse verò interpretatur מטרם עולם *mittèrem holàm*, idest, ab ante sæculum. Et Prouerb. 8. æterna sapientia de se loquens dicit, *A sæculo princeps constituta sum*. ait, *à sæculo idem significat, quod, ante sæculum.* quæ loca, cum de Deo dicantur, eius æternitatem ostendunt. Cum ergo in hoc Michææ loco habeatur idem loquendi modus, inquit enim מקדם micchèdem, *ab initio, ab æterno*, מימי עולם mimè holàm, *à diebus sæculi*. vtrobiq; est litera מ *mem*, quæ præpositionem *a* designat; cur non etiam hic erit idem ac ante initium, & ante dies sæculi? Si in locis ab eo adductis eò quòd habetur, Deum esse ante sæculum & ante omnes dies, eius æternitas demonstratur: & in hoc Michææ textu cù Messias dicatur esse ante dies sæculi, verè æternus ostēdit, verè Deus est, qui homo inter homines Bethleemitas nasci dignat' est.

Ab æterno ordinata sum.

Sed

Sed contra Rabbinum istum, cæterosque perfidos Iudæos, qui diuinam incarnationem inficiantur, ac Messiæ diuinitatem execrabili odio prosequuntur, hoc formemus argumentum. Deum verè æternum esse, propria ac perfecta, omnique ex parte absoluta æternitate fatentur omnes, sicut & sacra scriptura docet: hæc autem vt veram Dei æternitatem ostendat, in locis, quibus ad eam demonstrandam vtitur, nullum alium adhibet loquendi modum, nisi vt est apud Michæam. si igitur in alijs locis ille modus loquendi sufficit ad Dei æternitatem exprimendam, in hoc pariter sufficere dicendum est. Tribus vicibus diuina scriptura de Dei æternitate loquitur, primò in psal. 90. de quo supra diximum מעולם אתה אל Meholàm attà el. *à sæculo tu es Deus*. deinde in psal. 92. מעולם אתה meholàm attà, *à sæculo tu es*. postea Prouerb. cap 8. מעולם נסכתי meholàm nissàchti, *à sæculo regnaui.* quibus locis de vera Dei æternitate sermonem haberi, nullus vnquam Iudæorum negauit. Quod si ita est, & illo Michææ loco veram Christi demonstrari æternitatem ac diuinitatem, & ex consequenti diuinæ incarnationis mysterium fateri omninò coguntur. Quod & ratione creationis, vt diximus, apertè ostenditur, cum ait, *productiones eius ab antiquo, à diebus sæculi*. videlicet

cet quò primùm creatus est mundus. Egressus est enim ipse Christus cum patre & spiritu sancto ab initio sæculi,& cœlos creauit: de quo Salomon Prouerb. 8. ait, *Dominus possedit me initio viæ suæ* יי קנני ראשית דרכו Adonài canani resìth darcò בהכינו שמים שם אני baach:nò samà jm sam àni. *quando præparabat cœlos, ibi ego eram.* Est enim diuina sapientia, quæ sic loquitur; Christus autem sapientia patris est,quem ipse in principio viæ suæ possedit,quando viam ad mundum creandum ingressus est; propterea ait, ראשית דרכו resith darcò, *initio viæ suæ.* cuius viæ? quò nàm abijt Dominus? in mundum profectò. non in mundum creatum & præxistentem, sed in mundum creandum, cui se ostendit, & bonitatem suam diffundens creaturis omnibus, eas simul cum mundo creans.Porrò in hac via comitem habuit suam sapientiam, suum filium, qui æquè vt pater omnipotens omnia creauit. Quod verò de æterna Dei sapientia dixerat Salomon in cap.8. de eodem Dei filio in capite 30. repetit dicens, מי הקים כל אפסי ארץ מה שמו ומה שם בנו כי תדע Mi hechim col aphsè àrets, mah semò, vmàh sem benò chi tedàh. *Quis statuit omnes terminos terræ? quod nomen est eius? & quod nomen filij eius, si nosti?* Ex quibus verbis apparet, Deum habere filium, qui cum eo terminos

terræ

terræ fixit ac statuit. Et hoc est quod Michæas docet, Messiam Dei filium egressum esse ab initio mundi ad hæc quæ videmus creanda; vnde Deum habere filium, qui vt pater creator mundi est, ac eiusdem cum patre potentiæ, sicut eiusdem substantiæ, qui postea in tēpore homo natus est, patet.

Sed vt illustrior fiat nostra expositio, aliorum etiam Rabbinorum glossas hic apponere non ab re iudicandum est. Rabbi Abraham Aben Ezra idem prorsus habet quod Rabbi Dauid Chimchi, cuius expositionem reiecimus. Nec absimile est quod affert Rabbi Isaac Abrabanel ex neotericis Rabbinis, omnium veterum gentis suæ, religionisque seu potius superstitionis Iudaicæ acerrimus defensor, cujus verba sunt, ממך לי יצא מי שיהיה מושל בישראל והוא מלך המשיח אשר ימלך עליהם וביאר שלא אמר לפי שהוא יהיה נולד עתה באותו ביתלחם אבל מוצאותיו ומשפחתו משם מקדם מימי עולם והענין שיהיה מזרע דוד אשר נולד בביתלחם ומבית ישי ביתהלחמי ובאילו אמר ומוצאותיו של המלך והמושל הזה יהיה מביתלחם מהזמן הקדמון מימי עולם שהם הימים אשר מלך דוד על ישראל. Ex te mihi exibit, qui erit dominator in Israel. *hic est rex Messias, qui regnabit super eos. Declarat se hoc non dicere, quasi nunc nasci debeat in illa Bethleem. Verum egressiones eius, ac progenies illius ex loco illo, ab antiquo, à diebus*

seculi. significat quod erit de semine Dauidis, qui natus est in Bethleem, & de domo Isai Bethleemitæ. Ac si dicat, egressiones huius regis ac dominatoris erunt ex Bethleem iam à tempore antiquo, à diebus sæculi. qui sunt dies quibus regnauit Dauid super Israel.

At quid necesse fuit cum de Messiæ natiuitate sit sermo, Dauidicæ progeniei mentionem facere? non ne sciebant omnes, ita per ora prophetarum præcedentium annunciatum? numquid non ipsi Dauidi promiserat Deus dicens, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*? Et Isaias ab Isai Bethleemita eum originem tracturum prænunciauit cum dixit, *egredietur virga de radice Isài*. Cur ergo, quasi hoc ignotum esset, de eo tam exactam tradere notitiam? Deinde, quo pacto termini, quibus propheta vtitur, huic expositioni adaptari possunt? inquit enim מקדם *micchèdem*.quam vocem non posse significare tempus illud medium inter Dauidem & Messiam, patet ex veteribus Talmudicis Rabbinis;qui cum hanc dictionem inuenissent in cap.2. Genesis in verbis illis, *Plantauerat autem Deus paradisum* מקדם micchèdem, *ab initio*, dixerunt in libro פסחים *pesachim* cap.4. Deum plantasse paradisum ante mundi creationem. Hoc autem falsum omninò est, cum eo loci קדם

psal. 130.

cap. 11

chèdem,

ebedèm, locum, non tempus designet, locum inquàm orientalem, in quo paradisus conditus erat. Si verò pro tempore accipiatur: pro initio temporis, vt habet nostra editio, intelligi debet. At contra Iudæos istos multùm valet authoritas veterum Rabbinorum, qui voculam illam pro antiquissimo tempore, idest ab æterno, ante mundi constitutionem, intellexerunt. Non igitur dicendum est, apud Michæam pro tempore, quod inter Dauid & Messiam fuit, accipiendam esse. quamuis enim multis annis hunc ille præcesserit, non tamen in tanto numero fuerunt, vt dici debeat Messiæ à Dauide progenies מקדם *miccheddem*, ab initio, siue etiam ab æterno. Relinquitur ergo de eius diuinitate, quæ ab æterno fuit, prophetam esse locutum.

Pauca quidem in hoc loco affert Rabbi Salomon; sunt tamen ea pauca ad propositum nostrum probandum valde accommoda. Ait ומוצאותיו מקדם. לפני שמש ינון שמו *Et egressiones, seu productiones eius ab initio. Ante solem innòn nomen eius.* Quæ verba sunt psalmi 7.. vbi nos habemus, *Ante solem permanet nomen eius*, hebraicè habetur ינון *Innòn*, hoc est, *erit genitum nomen eius*, vt ait Pagninus. Rabbi Salomon interpretatur, *omnibus diebus solis magnifica-*

bitur nomen eius. dictionem autem *Innon* ait significare regnum vel principatum. poterit ergo verti, *Ante solem princeps vel rex est nomen eius*. Rabbi Dauid Chimchi exponit, *Ante solem filius*, siue, vt magis iuxta grammaticam loquamur, *filiabitur nomen eius*. deducendo ipsum à נין *nin*, quod est filius. Cum hic Michææ locus de Messia loquatur, vt apud omnes Iudæorum Rabbinos in confesso est: sequitur profectò ex hac Rabbi Salomonis expositione, ipsum verum Dei filium esse: eò quòd ad verba illa, *Et egressiones eius ab initio*, nullam aliam adhibet expositionem, nisi verba psalmi 71. quem totum de Messia intelligi affirmat authoritate veterum Rabbinorum, qui sic eum interpretati sunt, ei applicando: dicens idem esse *egressiones eius ab initio*, ac illud, *Ante solem filius est nomen eius*. Ex quibus verbis fortiorem rationem habemus contra Rabbi Dauid & Rabbi Isaac Abrabanel, qui dixerunt prophetam loqui de stirpe Dauidis, qui multo tempore Messiam præcessit: at non præcessit solem, vt Rabbi Salomon his omnibus doctior interpretatur. Sed Messias vt Deus reuera fuit מקדם *mitchèdem*, ante solem & ante omnes creaturas. Ergo ex verbis prophetæ habetur Christi æternitas, & ex consequenti diuinitas. Ex scriptu-

peuris æterna Christi filiatio; ecce Michææ prophetæ Isaiæ contestis de diuina incarnatione illustrissimum testimonium.

Ad illud autem quod R. Dauid garriebat; Dominum Iesum non fuisse dominatorem illum, de quo Michæas loquitur, eo quod non habuerit in Iudæos dominium, sed magis è conuerso illi in eum dominium ac potestatem exercuerint, præsidi tradentes, mortique damnantes: Respondemus, duplex esse dominium, spirituale, ac temporale. de hoc Iudæus intelligit: nos autem cum propheta de spirituali dominio & regno, ac de temporali in ordine ad spirituale loquimur: quo dominum Iesum dominatum esse, ac dominari, asserimus. temporale autem dominium quò ad omnia temporalia eum non exercuisse fatemur: sic enim ipse dixit, *Regnum meum non est de hoc mundo*. Sed quia Iudæus, cum carnalis sit, omnia carnaliter accipit, terrenumque ac visibile regnum expectans, quodlibet spirituale dominium respuit, irridetque, nostrum dicens esse figmentum: ex sacra scriptura conuincendus est, & velit nolit, spirituale regnum fateri cogitur. Interrogemus Iudæum. Regnat ne in terra Deus? Vtique respondebit, si prophetæ Michææ credere voluerit, qui Deum esse ipsius Synagogę regem in his verbis testatur המלך אין בך hammèlech en bach, *num-*

Ioan. 18.

quid rex non est in te? quasi dicat, Vtique est in te rex qui rex est Deus, vt inquit Rabbi Dauid Chimchi. Quomodo igitur dominatur in te rex iste ò Sinagoga? corporaliter, visibiliter forsan? At vbi? In Ierusalem? hoc non apparet: non enim ibi sunt signa regiæ maiestatis. non curia, non scutiferi, non milites, non equites, non æqui, non arma, nec aliquid, quod regiam præsentiam indicet. Dominatur quidem Deus Israel, ac in omnibus populis, non corporaliter, visibiliter ac patenter, sed occultè & spiritualiter dominium spirituale & temporale super omnia habens. Ita Dominus Iesus quamuis iuxtà theologorum sententiam fuerit verè rex temporalis quantùm ad potestatem, non autem quantùm ad exequutionem super omnia temporalia; fuit tamen, & est verè rex spiritualis, & ita dominatur in Christianis, in Iudæis, ac in omnibus gentibus tãquàm verus Dei filius. Quod si Iudæi ipsum tota die blasphemant quomodo in eis dominatur? quo pacto illorũ rex est & dominus? Non eò quòd ipsũ non recipiunt in regem, sed maximo prosequuntur odio, sequitur eum regem non esse; sicut cum ciuitas aliqua aut prouincia regem suum iniuste repellit, propterea dicendus non est rex. est verè Iudæorum rex Christus Iesus, ac in ipsis regnauit & regnat, & in

per-

perpetuum est regnaturus. Cuius signum fuit vindicta atque punitio, qua eos flagellauit, missis Romanorum exercitibus aduersùs Ierusalem, qui eam funditus destruxerunt, infinitam propè multitudinem ex eis occidendo, quamplurimos perpetuæ seruituti astringendo; super quos modò regnat, virga ferrea vt Dauid psal. 2. prædixerat, regendo. quod & in perpetuum futurum, prophetarum oracula testantur. Neque asserendum est, eos propterea in ipsum regnasse, quia morti tradiderunt; iniustè enim egerunt, ex inuidia atque odio & sine causa eum persecuti sunt: hæc autem iniusta persecutio regnum appellari non potest; alioquin quilibet homicida diceretur illius, quem occidit, rex. Quod si ex hoc dicendi sunt Iudæi regnasse in Iesum, vt quid ob eius mortem talem sustinent pœnam? nullus rex dominium exercens in subditos, eos, cum iustitia postulat, morti tradendo, punitur: iure enim suo vtitur; qui autem vtitur iure suo, nemini iniuriam facit, propterea ex hoc puniri non debet. Dicant nunc Iudæi, quare propter Iesu Christi mortem tàm acriter puniti sunt, vt per totũ terrarum orbem dispersi, vbique locorum apud omnes gentes abominabiles sint, præter eos qui crudeli morte in vrbis Ierusalem excidio necati fuerunt? Quod autem ob Christi mortem

hæc

hæc passi sint, eorum præcipuus doctor Rabbi Moses Bar Maymon in libro sopherim his verbis testatur, ישו נוצרי נראה משיח ונהרג מבית הדין והיה סבה שישראל נחרב כחרב. Hoc est. *Iesus Nazarenus apparuit, seu visus fuit Messias: occisus est autem à domo iudicij*, idest à Tribunali, *& fuit causa, vt Israel* (Hebræi) *destruerentur gladio*. Nec etiam propter hoc in eum dominati sunt, quia occiderunt; nullam enim habebant iudicandi potestatem, sicut ipsimet confessi sunt dicentes, *Nobis non licet interficere quemquam*. Ex decreto namque Cæsaris, immò Dei, qui per os Iacob patriachæ id prædixerat, ademptum illis erat iudicium omnisque causa sanguinis; neque ipsi condemnauerunt eum, sed Pilatus præses vice Cæsaris sententiam tulit, vt Iesus moreretur. Quia verò Iudæi falsis testimonijs, deinde clamoribus à Pilato impetrarunt, vt Iesum crucifigi iuberet: ideo ipsi eum occidisse dicuntur. Non tamen dominati sunt in eum tamquàm domini in seruum, aut tamquàm rex in sibi subditum: sed tamquam impij & scelerati serui in regem dominum suum insurrexerunt. Quo sensu dici etiam potest Cain dominatus in Abel, aduersus quem consurrexit; Esau in Iacob, quem persecutus est; Pharao in Israelem, quem afflixit, Iezabel in Nabot virum iustum, quem lapi-

Ioan. 18.

Gen. 49.

dari iussit, & alij quàm plurimi iustorum persecutores ac interfectores: quos Deus in hoc mundo permittit hoc pacto dominari in sanctis, vt det his maiorem merendi occasionem, postea patientiæ præmia daturus: illis autem vexationis ac iniquæ potestatis pœnas inflicturus. quæ & in hoc mundo ex parte fiunt, vt in Cain & Pharaone visum fuit, & multò magis in Iudæis, vt ipsimet experiuntur: sed plenius erit in futuro, cum ad æternas gehennæ pœnas damnabuntur.

CAPVT VI.

De præda à Christo è diaboli faucibus erepta, de qua Michæas contestis est Isaiæ propheta.

QVia dixerat Isaias in secundo capite, Christi tempore maximam futuram fuisse gentium ad Deum conuersionem, ita vt ij omnes, qui sub diaboli potestate vincti tenebantur, vinculis diruptis ad Deum verum ac legitimum dominum reuersuri erant: idque maxima animi promptitudine ac cæleritate, vt demonstrat dicens, *fluent ad eum omnes gentes*; de hoc iterum in cap. 8. loquens, ait, Messiæ nomen esse מהר שלל חש בז *Mahèr salal, chas baz*, hoc est, *festina spolium, accelera prædam*. ad indican-

dicandum Messiæ aduentus præcipuum effectum, qui erat animarum redemptio, quam statim operaturus erat. De hac ijsdem penè verbis agit Michæas cap. 4. dum ait, והיה באחרית הימים יהיה הר בית י'י נכון בראש ההרים ונשא הוא מגבעות ונהרו עליו עמים. Vehaià, beacharith haijamim ihiè har beth Adonài nachon beròs heharìm, venissà hu miggheuahòth, venaharù halaù hammìm. *Et erit, in nouissimo dierum erit mons domus Dei præparatus in capite montium, & eleuabitur ipse super colles, & fluent ad eum populi*. De Christi tempore verba hæc intelligenda esse, sicut & illa Isaiæ, omnes Iudæi fatentur. quin, & Rabbi Dauid Chimchi ex hoc quod dicitur באחרית הימים *beacharith haijamim*, idest, *in nouissimo dierum*, colligit, sermonem esse de Messia. & super caput secundum Isaiæ citatum, vbi pariter hæ duæ voces habentur, cum sit eadem cum ista Michææ sententia, hanc regulam tradit, כל מקום שנאמר באחרית הימים הוא ימות המשיח *Omnis locus, vbi dicitur*, In fine, seu in nouissimo dierum, *sunt dies Messiæ*. hoc est, intelligitur pro diebus Christi. quibus diebus præparatus erit mons domus Domini in vertice montium. Iudæi intelligunt de materiali monte Sion, de quo multa fabulantur. At nos de Christo interpretamur, qui mons vocatus est ob altitudinem diuinitatis,

tis, & excellentiam sanctitatis suæ, ac supra mentes & colles dicitur eleuatus, eò quòd maior fuerit prophetis, patriarchis, & angelis, vt Rabbini de Messia affirmant in libro *Ialcut* super caput 52. Isaiæ. Et quamuis de monte hoc loquentes, montem Sion esse credant, multa vana de eo mentientes; tamen cum Rabbi Isaac Abrabanel asserat, Rabbi Salomonem interpretantem ea verba prophetæ, *Et iudicabit inter gentes*, exposuisse hoc pacto, sicut ait, · וכן כתב רש"י ושפט אותו ההר hoc est, *& ita scripsit* Rabbi Salomon, Et iudicabit, *ipse videlicet mons:* colligitur non de materiali, sed de rationali monte, qui Christus est, prophetam esse locutum. Hic igitur mons Christus, in quo tamquam in altissimo loco fundata & constructa est Ecclesia viuum Dei templum, præparatus erit sicut miles ad præliandum, vt gigas ad currendam viam, cum hoste congressurus, quem interficiet spiritu oris sui, non armis terrenis, vt Hoseas ait, *Non in arcu & gladio, non in bello, & in equis, & in equitibus saluabo eos: sed saluabo eos in Domino Deo suo.* diuina virtute, solo Dei verbo cum hoste pugnaturus Messias, prædam à diaboli faucibus erepturus erat. Præparato igitur monte fluent ad eum populi, ait Michæas. En præda, en spolium, de quo Isaias. Cap. 1.
Hæc

Hæc in domino nostro Iesu Christo perfectè adimpleta esse, nemo nisi cæcus ac perfidus negare valet. Totus enim ferè terrarum orbis, qui sub infernalis tyranni potestate crudelibus vinculis ferreis obstrictus erat, per Christum, eiusque apostolos diuina virtute armatos solutus est, ac diaboli vires fractæ, verusque rex Christus Deus regnat, in æternumque regnabit. Atque hæc de testimonio Michææ, quod verbis Isaiæ de diuina incarnatione loquentis perhibuit. Nunc ad secundum contestem accedamus.

CAPVT VII.

Ostenditur clarum Zachariæ testimonium in Isaiæ vaticinij confirmationem.

IN capite nono Zachariæ prophetæ tàm illustre cernitur diuinæ incarnationis, eiusque effectus, nimirum prædæ quam
3 Christus à diabolo erepturus erat, testimonium, vt nullus remaneat dubitandi locus, quin Isaiæ verborum sit clarissima confirmatio. Ait enim, גילו מאד בת ציון הריעי בת ירושלם הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא עני ורוכב על חמור וגו' ומשלו מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ. Ghilì meòd bath tsijon, harihi bath Ierusalàijm, hinuè malchèch iauò lach

tsaddich, venosàh hu, hani verochèb hàl chamòr: vmoslò mijàm had iam, vminnàhar had aphsè àrets. *Exulta valde filia sion, iubila filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluatus ipse, pauper & equitans super asinum &c. & potestas eius à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ.* Quia locus hic insignissimus est, atque ad Iudæorum perfidiam conuincendam aptissimus: non ab re erit, si aliquantulum in eius expositione immorabimur. Primùm igitur Rabbinorum interpretationes adducemus; deinde ijs, quæ ad rem non faciunt, reiectis, nostram catholicam sententiam statuemus. Rabbi Salomon hæc habet חנה מלכך יבוא לך אי אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח שנ׳ בו ומשלו מים עד ים ולא מצינו מושל לישראל כזה בימי בית שני. Ecce rex tuus veniet tibi. *Impossibile est exponi nisi de rege Messia, de quo scriptum est,* Et potestas eius à mari vsque ad mare. *At non inuenimus talem dominatorem in diebus domus secundæ.* idest eo tempore, quo permansit secundum templum. Cum in Iesum credere noluerint, mirum non est, si dominatorem illum non inuenerunt. at quare non inuenerunt, nec nunc inueniunt? quia diuitem dominatorem quærunt, diuitem exspectant, qui eos terrenis diuitijs replens, diuites efficiat. Non ne Iesus in secundo templo visus est? cur

Vulg, editio habet Saluator.

dicitis,

dicitis, non inuenimus? Respondent, quia pauper erat. At nunquid Messiam diuitem vobis mittendum scriptura promisit? Ita, aiunt. quare ergo hoc loco Zacharias propheta vocat eum עני *bani*, idest pauperem? Ideo Rabbini non interpretantur עני *banì*, pauperem, sed mansuetum. Contra ipsos tamen facit id quod habetur apud Isaiam cap. 26. vbi propheta de Roma à Messia subiuganda loquens, aït תרמסנה רגל רגלי עני פעמי דלים Tirmesènna ràghel, raglè hani, pahamè dallìm. *Conculcabit eam pes: pedes pauperis, gressus egenorum*. Vbi loco *pauperis* habetur עני *bani*, sicut habetur hoc loco Zachariæ. quod autem ibi עני *bani* pauper interpretari debeat, ex Rabbi Abraham Aben Ezra habetur, qui ait, *Vsque modo humiliabit eam, vt conculcet eam pes; & non pes principis, sed pedes pauperis*. At quis est iste pauper? Ipsemet Rabbi Salomon ait רגלי עני מלך המשיח שנ׳ בו עני ורוכב על חמור. פעמי דלים ישראל שהיו דלים עד הנה Pedes pauperis. *idest regis Messiæ: de quo scriptum est,*
Zach. 9. Pauper & equitans super asinum. Gressus egenorum, *idest Israelitarum, qui huc vsque fuerunt egeni*. Ex quibus verbis patet Messiam pauperem futurum fuisse, qualem Iesum dominum nostrum fuisse credimus. Iudæi verò, quia bona temporalia quærunt, æterna profectò amittent.

Rabbi

Rabbi Dauid Chimchi de Meſſia pariter Zachariæ verba exponens, ait, צדיק ונושע הוא. צדיק יהיה ובצדקתו יהיה נושע מחרב גוג ומגוג. עני כמו עניו וכתי׳ ענותן. וכן אמר בנבואת ישעיה לא יצעק ולא ישא קנה רצוץ לא ישבור וגו. ורוכב על חמור לא מחסרון שהרי כל העולם יהיה ברשותו אלא מענוה ירכב על חמור Iuſtus & ſaluatus ipſe. *Iuſtus erit* (Meſſias) *& per ſuam iuſtitiam ſaluabitur à gladio Gog & Magog.* עני hani, *id eſt manſuetus. ſic interpretatus eſt Ionathan. Et ſic in prophetia Iſaiæ dicitur,* Non clamabit, & non eleuabit: calamum quaſſatum non conteret &c. Et equitans ſuper aſinum. *non propter inopiam, quia totus terrarum orbis ſub eius poteſtate erit, ſed manſuetudinis gratia equitabit ſuper aſinum.* *Iſai. 42.*

Dimiſſa falſa illa Iudæorum ſententia de bello, quod Meſſiam cum Gog, & Magog geſturum putant, non intelligentes verba Ezechielis cap. 38. à quibus eam deſumpſerunt, de qua non eſt præſentis negocij pertractare; ſufficiat pro nunc, Rabbinos omnes, vno excepto Rabbi Abraam Aben Ezra, de Meſſia hunc Zachariæ locum exponere; quem & ſi ſaluatorem ſicut & nos, firmiter credunt, hic tamen non ſaluatorem, ſed ſaluatum interpretantur. Quod neque nos reijcimus: dicitur enim Chriſtus non ſolum ſaluare, ſed etiam ſaluari, vt conſtat ex

epiſtola ad Hebræos cap. 5. vbi habetur. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrimis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Chriſtus quidquid voluit, impetrauit; & quamuis mortuus ſit: quia tamen non vt non moreretur, abſolutè petijt, ſed ſub conditione dicens, *Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea voluntas ſed tua fiat*; ideo exauditus dicitur. Mortuus deinde ſaluatus eſt à corporis corruptione, ſtatim tertia die reſurgens ex mortuis, amplius iam non **moriturus**, ſed immortalis ac gloria plenus. Saluatus igitur fuit à morte, quæ cum tres tantùm dies in illum præualuerit, non mors dicenda eſt, ſed potius ſomnus. Quod autem in vulgata noſtra editione habeatur ſaluator, non autem ſaluatus, non datur Iudæo murmurandi occaſio: cum etiam in Chaldaica paraphraſi cuius eſt apud Hebræos maxima authoritas, legatur זכאי ופריק zaccài vpharìch, *innocens & redemptor*. quia פריק *parich*, chaldaicè idem valet ac מושיע *mosiah*, hebraicè, ſiue גואל *goel*, ideſt, *redemptor, ſaluator*. Septuaginta interpretes tranſtulerunt καὶ σώζων αὐτός, *& ſaluans, ſeu ſaluator ipſe*.

Cæterum, quod ait Rabbi Dauid Chimchi, nomen עני *banì*, de quo ſupra diximus,

pro

pro mansueto sumi, non autem pro paupere, iam ostendimus esse falsum. nam vox ista pauperem re vera significat, paupertate afflictum. Sed hoc est mirum, quod cum sæpissimè in sacra scriptura reperiatur hæc dictio, in duobus tantùm locis pro mansueto non pro paupere ab eis accipitur: ne paupertatis inimici, & auaritia ac superbia pleni, Messiam pauperem fateri cogantur. neque ipsos pudet diuinam scripturam adulterare, nominumque significata peruertere. & ideo cum hic de Messia sit sermo, quem ditissimum expectant, non pauperem, sed mansuetum dicunt denotare. Locus alter in quo vox עני *hani*, reperitur, est Sophoniæ cap. 3. vbi cum de Iudæis tempore Messiæ iuxtà eorum intellectum habeatur sermo in verbis illis, *Et derelinquam in medio tui populum* עני hani, *pauperem & egenum*, loco pauperis interpretantur mansuetum; quia cum illorum fictus Messias aduenerit, non pauperes, sed ditissimos se fore sperant.

Sed præter ea quæ supra dicta sunt de nomine עני *hani*, contra Rabbinos istos facit id quod habetur in commentarijs Rabbi Abrahami Aben Ezra, cuius super hunc locum expositionem refert Rabbi Isaac Abrabanel in his verbis, קבל שנאמר על יהודה בן חשמונאי שהיה גבור ובתחילת ענינו היה עני ורוכב

 על

על חמור *Accepit*, ideſt huius fuit opionionis, *quod dicatur* (nempe hic Zachariæ locus, *de Iuda Machabæo, qui fortis quidem fuit, ſed in initio fuerat pauper & equitans ſuper aſinum*. Quæ opinio licet falſa ſit, quia de Iuda Machabeo intelligit quæ de Chriſto dicuntur: tamen duo ex ea colligimus contra cæteros Rabbinos ac Iudæos omnes. Primum quod prophetia hæc tempore ſecundi templi completa eſt: quo tempore nemo niſi dominus Ieſus apparuit. de quo maximè ſe contorquet Rabbi Iſaac Abrabanel. Deinde nomen *bani*, etiam hoc loco pro paupere vſurpari debere; ſi enim, cum pro Iuda Machabæo accipitur, pauperis habet ſignificationem, cur ſi pro Meſſia intelligitur, quæ germana eſt huius locis intelligentia, eandem non habebit ſignificandi efficaciam? Neque obijciendum, quod in Euangelio Matthæi, qui hoc citat teſtimonium, habetur manſuetus, non autem pauper; quia noui teſtamẽti ſcriptores, ſæpe dum teſtimonia veteris proferunt, magis ſequuntur ſenſum, quàm literæ tenorem, verborum proprietates non obſeruantes.

Modò probandum eſt principale noſtrum intentum, quod eſt diuinæ incarnationis myſterium, de quo Zacharias loquitur in Iſaiæ verborum teſtimonium & confirmationem. Hoc patet ex eo quod Meſſiam vocat pau-

perem

perem, ac in paupertatis signum non super equum pulcherrimum & generosum, sed super vile iumentum equitare dicit: deinde totius mundi dominum eum esse testatur, dum ait, *Potestas eius à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ.* pauper in quantum homo tantùm, quò ad exercitium, vt supra &c. totius orbis dominus saltem vt Deus, & homo, cuius est terra & plenitudo eius. Est igitur Deus & homo.

Veterum Rabbinorum dicta sequentes, alia via ex hoc loco Mesiiæ diuinitatem, diuinamque incarnationem probare possumus. Quærunt ipsi, quomodo verè dici possit iustus & saluatus. quare non saluator? Respondent, Deum esse cum ipsis in tribulatione, quam patiuntur, à qua cum saluantur Deus pariter saluatur cum eis. Hæc habentur in libro Ialcut super hunc locum Zachariæ. כתיב כביכול כשישראל בצרה אף הוא עמהם . שנ' בכל צרתם לו צר וכתיב עמו אנכי בצרה וכתיב ושם דרך אראנו בישע אלהים בישע ישראל אינו אומר אלא בישע אלהים . אמר רבי ברכיה הכהן ראה מה כתיב גילי מאד בת ציון הריעי ירושלם הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע ומושיע אין כתיב כאן אלא ונושע *Scriptũ est (si dici fas est) quod cũ Israel est in tribulatione positus, Deus est cum ipsis, sicut dicitur Isaia cap. 63.* In omni tribulatione eorum ipse tribulatur. Ita in psal. 90. Cum ipso

In nostra editione habetur negatio; In omni tribulatione eorum non est tribulatus.

sum in tribulatione. *Psal.* 49. Ostendam illi salutare Dei. *Salutem Israelis non dixit, sed salutem Dei. Dixit Rabbi Barachias sacerdos, Vide quid scriptum est*, Exulta valde filia Sion, Iubila Ierusalem, ecce rex tuus venit tibi iustus & saluatus. *& saluator, non est scriptum, sed & saluatus.* Ex quibus verbis habetur, hunc, qui saluatus dicitur, esse Deum. cum igitur omnes fateantur hoc de Messia à propheta dictum esse, consequens est, Messiam esse Deum. & hæc est Dei incarnatio, ipsum Deum fieri Messiam, hoc est fieri hominem, cum Messiam futurum fuisse hominem, nullus vnquàm negauerit.

Est & alia huius mysterij illustris probatio ex veteribus Rabbinis desumpta. In libro מדרש שיר השירים *Midras sir hassirim*, idest in commentarijs cantici canticorum Salomonis, in expositione illius versiculi נגילה ונשמחה בך Naghila venismechà bach, *exultabimus & lætabimur in te*, hæc habentur למטרונה שהלך המלך בעלה ובניה וחתניה למדינת הים. ובאו ואמרו לה באו בניך אמרה מה איכפת לי תשמחנה כלותי. אמרו לה בא המלך בעליך אמרה ההיא חדותא שלמה חדו על חדו. כך לעתיד לבא באין הנביאים ואומרים לירושלם בניך מרחוק יבואו והיא אומרת להם מה איכפת לי ישמח הר ציון. כיון שאמרו לה הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הא חדותת שלמת דכתיב גילי מאד בת ציון וכתיב רני ושמחי בת ציון באותה שעה היא אומרת שוש אשיש בי״י תגל נפשי

נפשי באלהי *Exemplum cuiusdam matronæ, cuius vir rex, filÿque eius, ac generi profecti sunt in regionem maris. Venerunt deinde nuncÿ dicentes ei: filÿ tui redeunt. Ipsa respondit, quæ vtilitas est mihi? lætentur murus mea. Postea dixerunt, Generi tui reuertuntur. Illa ait, quid ad me? lætentur filiæ meæ. Demum dixerunt ei, Venit rex vir tuus. tunc illa ait. Hæc est perfecta lætitia, nunc læta sum. Ita Prophetæ dicebant loquentes cum* Ierusalem, filij tui de longe venient: *Ip-* *Isai.*
sa dixit, quid ad me? lætetur mons Sion, 60.
exultent filiæ Iudæ. *Cum autem dixerunt ei,* *Psal.*
Ecce rex tuus venit tibi iustus & saluatus 97.
ipse. *ait, ecce perfectum gaudium, iuxtà quod* *Zach.*
scriptum est. Exulta valde filia Sion. *Et prius* 9.
scriptum erat, Canta & lætare filia Sion, quia *Zach.*
ecce ego venio &c. *In illa hora* Ierusalem *di-* 2.
cebat, Gaudens gaudebo in domino, exulta- *Isa.62*
bit anima mea in Deo meo. Hoc totum dixerunt Rabbini in dilucidationem illius versiculi, *Hæc dies quam fecit dominus, exulte-* *Psal.*
mus & lætemur in ea. hebraicè habetur בו 117.
bò *in eo*, non autem, *in ea*. Nec sciebant, aiunt, in quo lætari deberent, in die, an in Deo, quia ad vtrumque referri potest illud בו bò, *in eo*. Venit & dubium soluit Salomon, qui in persona populi ait, *Exultabimus & lætabimur in te.* in te Domine. Quæ lætitia tunc agenda erat, cum Synagogæ

sponsus Deus ad eam veniret. atque ad hoc probandum assumunt versiculum Zachariæ, *Ecce rex tuus venit tibi iustus & saluatus*. hic autem, vt ex Rabbinis ostendimus, Messias est; immò & Rabbi Salomon ait, impossibile esse, non de Messia verba illa exponi. ergo Messias est Deus; vna ac eadem persona Deus & Messias siue Christus verus filius Dei, verusque Deus & homo. Et hæc est Dei incarnatio, de qua Isaiæ contestis Zacharias loquitur cap. 9 prædicto. Quod etiam clarissimè colligitur ex cap. 2. qui ab ijsdem Rabbinis citatur, *Canta & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui dicit dominus*. Deus ipse est qui se venturum promittit: hic autem est Messias à Deo missus, sicut sequitur dicens, *& scies quia dominus exercituum misit me ad te*. Vbi habemus Deum mittentem, qui pater est, ac Deum missum, idest filium. Sed hoc non est præsentis negocij: cum non de incarnatione, neque de diuina trinitate tractatum peragamus, sed tantummodo de testimonio Zachariæ ad Isaiæ verba, quæ proposuimus.

CA-

CAPUT VIII.

De testimonio Zachariæ circa prædam, de qua Isaias loquitur.

POstquàm Christum pauperem, mundi tamen totius principem ostendit Zacharias, hominem, atque Deum ipsum declarans, subdit eius incarnationis effectum, qui fuit animarum, quæ sub inferni potestate detinebantur, redemptio, dicens, גם את בדם בריתך שלחתי אסיריך מבור אין מים בו Gam ath bedàm berithèch, sillàchti asiràijch mibbòr en màijm bo. *Etiam tu in sanguine foederis tui, emisi vinctos tuos de cisterna in qua non erat aqua.* In nostra editione habetur, *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quæ verba ita à D. Hieronymo exponuntur, In sanguine passionis tuæ eos qui vincti in carcere tenebantur inferni, in quo non est vlla misericordia, tua clementia liberasti. Et sic propheta ad Christum sermonem diriget. At iuxtà Hebræos apostropha fit ad Synagogam: hebraicè enim ita habetur, *etiam tu in sanguine testamenti tui. emisi vinctos tuos de puteo in quo non est aqua.* Hoc est, etiam tu Synag. (quia *tu*, *tui*, & *tuos*, generis fœminini sunt in hebraico textu) in sangui-

sanguine pacti tui, siue per sanguinem pacti vel fœderis, vel testamenti tui, idest legis tuæ de circuncisione saluaberis. Illud autem verbum *emisisti*, in hebraico est in prima persona, idest *emisi*. Deus dicit Synagogæ, eam per sanguinem pacti esse saluandam, quæ salus est in ereptione vinctorum eius de puteo facienda. Sed videamus clarius in ipsorum fonte. Rabbi Dauid Chimchi hæc affert. גם את . אמר כנגד כנסת ישראל כמו שאמר על המלך המשיח שיהיה נושע בצדקתו אמר גם את תהי נושעת בדם בריתך והוא דם המילה שהחזיקו בו ישראל בגלות יותר מכל המצות . מבור אין מים בו זהו הגלות Etiam tu. *Dicit de Synagoga Israelis, sicut dixerat de rege* Messia, *quod per iustitiam suam saluandus erat. ait*, etiam tu *salua eris per sanguinem pacti tui, nimirum per sanguinem circuncisionis, quam* Hebræi *in captiuitate obseruant magisquàm omnia præcepta*. de puteo in quo non est aqua. *idest de exilio*. Quare autem exilium, in quo sunt, appelletur puteus sine aqua, declarat ex sententia patris sui, dicens, ואא׳זל פירש מים נבואה בדרך משל שנסתמה הנבואה בגלות ולא היה נביא אחר חגי זכריה ומלאכי וכן מצאנו אומר בענין הנבואה הוי כל צמא לכו למים, *At pater meus exposuit aquam, prophetiam metaphoricè: eo quod abscondita sit prophetia in captiuitate, cum non fuerit aliquis propheta post Aggæum, Zachariam & Malachiam. Et sic*

inue-

inuenimus de prophetia dictum, omnes sitientes venite ad aquas. Insipida profectò interpretatio. licet enim aliquando nomine aquæ intelligatur doctrina ac prophetia, vt est Isaiæ cap. 55. sæpe tamen accipitur aqua pro pœna & cruciatu; quemadmodum in psal. 68. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam*. quo loco ipse Rabbi Dauid intelligit pro aquis tribulationes & angustias. Rabbi Salomon & Rabbi Abraham exponunt, populos persecutores hebræorum. Atque in hoc Zachariæ loco non potest aliquo pacto aqua interpretari prophetia, qua carent Iudæi in hoc exilio detenti; quia propheta loquens de puteo, ex quo dicit, vinctos emittendos fuisse, ait sine aqua esse, hoc est sine pœna & cruciatu. per quem puteum intelligit quidem pœnarum locum, non tamen cum pœnis, qualis erat locus, in quo sanctorum patrum animæ asseruabantur, quæ in limbo tamquàm in puteo inclusæ, sine aqua tamen, hoc est sine tormentis detinebantur, Nam si per puteum intelligatur exilium, per aquam prophetia: non ne melius esset manere in puteo, in quo esset aqua? sic enim minor esset pœna, haberentque prophetas, à quibus aliquas reciperent consolationes. At propheta minorem pœnam ostendit in priuatione aquæ. Rabbi Salomon eodem ferè modo exponit, quod sermo sit ad Iudæorum

gen-

gentem, quæ de puteo, idest de præsenti captiuitate liberanda declaretur. Et hæc est communis omnium Rabbinorum intelligentia, totiusque Iudaici populi expectatio. Quę quidem vanitas vanitatum est: cum Deus ita eos reprobauerit, vt nisi illos suæ infidelitatis pœniteat, nunquam euasuros se esse sperare possint. Quamuis enim circuncisionis præceptum mordicùs teneant, sanguinemque continuè fundant: nihil eis prodest, vt experientia patet. Si itaque per circuncisionis meritum, vt aiunt, ab exilio liberandi sunt: cur tàm longo tempore & quotidie sanguis in ista circuncisione effusus eos non saluat à tàm diuturna & dura captiuitate? Non certe de tali sanguine prophetam loqui necesse est; sed de Christi Saluatoris, cuius sanguis etiam in circuncisione figurabatur, morte; qui moriens mortem destruxit, sanctorumq. animas è puteo sine aqua, idest è limbo eripuit, ac à diaboli manibus prædam abstulit, vincula captiuitatis confregit, omnesq. homines quantum ex se fuit, salua-
Ose. 13 uit. De quo clarè prophetauit Oseas, dum ait
מיד שאול אפדם ממות אגאלם . אהי דבריך מות׳
אהי קטבך שאול Mijad seòl ephdèm, mimmàueth eghalèm, ehi deuarechà màueth, chi catobchà seòl. E *manu inferni redimam eas, à morte redimam illos. ero mors tua ò mors, ero morsus tuus inferne.* Si autem Iudæus

Iudæus dicat, expositionem hanc cum hebraico textu non concordare: in quo, vt apparet, sermo dirigitur ad Synagogam, quæ in sanguine suo manens saluanda sit. Respondemus, hoc nobis non officere, quin prædæ redemptio per Christum facienda dici debeat; sic enim iuxtà hebraicum textum connectere possumus, Etiam tu Synagoga saluaberis, nimirum si credideris. Vel sic, etiam tu in sanguine pacti tui, etiam te manente in sanguine tuæ circuncisionis, Ego Christus emisi vinctos tuos, animas sanctorum patrum à puteo, in quo non erat pœna sensus. Et hæc de testimonio Zachariæ de præda, quam à Messia ex inferni manibus auferendam Isaias prædicit. Qui de partu virginis Deum pariturae loquens, *Adhibui*, ait, *mihi duos testes, & accessi ad prophetissam, quæ concepit & peperit &c.* Hoc est, cum de Dei in carnem aduentu locuturus essem, non ego solus hoc prædicere ausus, cum res omnium maxima sit, verùm & alios meæ prophetiæ testes volui, nimirum Michæam & Zachariam, qui de hoc mysterio clariùs quàm cæteri prophetæ locuti sunt. & tunc accessi ad prophetissam, hoc est ad loquendum de prophetissa, de virgine, quæ Deum ipsum conceptura ac paritura erat quē supra dixerat vocādum esse Emmanuel, nobiscū Deum, Deus videlicet homo natus

verbum

verbm caro factum. quod in puriſſima virgine Maria adimpletum eſt, quæ Deum nobis protulit & hominem, Ieſum dominum noſtrum. Atquè hoc eſſe, de quo Iſaias eo loci agit, quamuis loqui de rè temporali videatur, de illa nimirum vrbis Ieruſalem liberatione, patet ex ijs quæ capite ſecundo dicta ſunt: deinde ex ipſo Iſaiæ contextu non obſcurè colligitur. Nam antequàm ſignum illud de huius *balmà* partu proferret, quaſi materiam de qua locuturus erat, annuncians, ait, המעט מכם הלאות אנשים כי תלאו גם את אלהי. hamhat micchèm halhoth anaſim, chi talhù gam eth elohài. *Nunquid parum vobis eſt labore afficere homines, quia labore afficitis & Deum meum?* Quid enim eſſe poteſt, propter quod dicatur Deus labore affectus? in quo nàm laborare fecerunt illum, qui laborare nequit? certè nihil aliud eſſe poteſt, niſi eius incarnatio, noſtræ humanitatis aſſumptio; qua aſſumpta, laborare cæpit, ouem perditam quærendo, ac pro ea innumeros perpetiendo labores, vt eam à lupi ſatanici faucibus ereptam ad ouile Dei reduceret. Huius rei ſignum datur, cum dicitur, *Ecce virgo concepit, &c.* hoc eſt: tunc laborare incipiet Deus, cum virginem concepiſſe cernetis. Modò ſupereſt ad Iudæorum fallaciſſima argumenta reſpondere.

Editio noſtra habet Nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo?

CA-

CAPVT IX.

Proponuntur, ac diluuntur Hebræorum argumenta.

QVidquid contra hunc de virginis Christi matris partu articulum adinuenerunt, seu potius somniarunt Iudæi, affertur à Rabbi Isaacho Abrabanel, qui ipsorum patrocinium suscipiens, omnia quæ apud ipsos sparsim leguntur, in vnum collegit, quibus acriter contra nos dimicando, multitudine iaculorum munitus, victoriam certam sibi promittit. Sed sagittæ paruulorum, ait propheta, factæ sunt plagæ eorum. contra ipsos, & in caput eorum conuertetur dolor. Hæc omnia in medium afferamus, vt videat Christianus lector, quàm infirma & vana, nè dicam impia sint Rabbinorum Synagogæ contra sacrosanctam Christi fidem argumenta; & quàm clarè, velint nolint, ex sacra scriptura, & præcipue ex locis citatis Isaiæ habeamus, Messiam ex virgine fuisse nasciturum.

Hæc sunt huius Rabbini inuenta. הנוצרים לקחו מדברי מאטיב שלוחם שמאמר יתן ה' לכם אות הנה העלמה הרה ויולדת בן וקראת שמו עמנואל נאמר על מרים שנתעברה בבתוליה ושהולידה ישוע אלהיהם ושעל בן נקרא עמנואל . וכבר התחייבו אליהם

אליהם בטולים שבעה *Christiani acceperunt ex verbis Matthæi eorum apostoli, quod prophetia ista,* Dabit Dominus vobis signum, Ecce halmà concepit & pariet filium, & vocabit nomen eius Emmanuel, *dicitur de Maria, quæ concepit in virginitate sua, & peperit Iesum Deum eorum, ac propterea vocatus est* Immanuel. *Modò contra eos sunt septem argumenta.*

Primum est hoc. האחד שאמר הנה מורה על הדבר הנעשה מיד בהווה כמו והנה דבר ה' אליו לאמר לא יירשך זה. הנה זה בא. הנה אל ישועתי אבטח וגו' לפי שלשון הנה הוא מגזרת הנני. ואיך יאמר הכתוב הנה העלמה וגו' עלמה שיהיה לאחרית הימים. והיה ראוי שיאמר והיה באחרית הימים וכיוצא מהלשונות כאלה שהם לעתות רחוקות

Ex eo quod dicit, ecce, *ostendit, quod loquitur de re præsenti, statim facienda, seu facta: sicut cum dicitur*, Et ecce sermo domi-
Genes. 15. ni ad eum, dicens, Non erit hæres tuus hic. Ecce iste venit. Ecce Deus salus mea, vel
Cant. 2. salutis meæ; sperabo &c. *Et hoc est, quia vox* הנה *hinnè,* idest, *ecce, significat præsentiam,*
Isai. 12. *vt cum dicitur*, ecce ego. *Quomodo autem diceret scriptura,* ecce halmà, *de ea que futura erat in tempore nouissimo? Conueniebat dicere sic,* & erit in nouissimis diebus, *vel quid simile, sicut sunt illa, quæ de longinquis temporibus annunciantur.*

Respondetur, particulam illam *ecce* non denota-

denotare rem præsentem; sed innuere rem magnam, tempore tamen suo faciendam; quæ cum sit prophetico ore prolata, necessariò euentura est: quia Deus ipse dixit, cui omnia sunt præsentia, ac tanquàm præsens res prænunciatur, ob certitudinem quæ de eius euentu habetur. Sed contra ipsummet Rabbinum retorquetur eius dictum. Si ex illa dictione *ecce* colligitur, sermonem prophetæ intelligi debere de muliere eo tempore pariente, cogetur Iudæus fateri, Messiam iam venisse: immò tantum temporis spatium transijsse ab eius aduentu vsque ad præsentem diem, quantum à tempore Malachiæ vsque nunc intercedit. Ait namque propheta iste de Messia loquens הנה בא hinnè bà, *ecce venit*. si igitur quotiescumque de aliquo annunciatur actio qualibet cum additione particulæ *ecce*, significatur vt præsens, vt re vera tunc existens atque operans; etiam si nolit Iudæus, Messiam venisse necesse est affirmare.

Ad loca scripturæ à Rabbino in sui argumenti corroboratione adducta, dicimus nihil ad rem facere. nam illud Genesis non est eiusdem rationis cum hoc Isaiæ; ibi enim historia texitur: & ea, quæ tunc agebantur, narrantur; Deum videlicet locutum cum Abraham fuisse, eumque de suo hærede fecisse certiorem. quod exprimens scriptura

ait, *Ecce sermo Domini ad eum dicens, non erit hic hæres tuus.* Isaias autem vaticinatur de futuro, quod pro signo dat magnæ rei; cùmque id, de quo vaticinium profert, magnum quid futurum sit, exprimitur ab eo cum particula, *ecce*, quæ rei magnæ & admirabilis prænuncia est.

Illud autem ex Canticis Salomonis allatum, *ecce iste venit*, idem prorsus ostendit, venisse scilicet Messiam; quia in *Midras sir hassirim*, idest in expositione cantici canticorum de Messia verba illa dicta esse affirmant Rabbini, quem tamen venisse cæci negant. quo igitur pacto vocula illa, *ecce*, rem præsentem demonstrat, si ab eius prolatione vsque ad præsens tempus tria millia fluxerunt annorum? responde Rabbine.

At illud Isaiæ cap. 12. nulli dubium est, rem præsentem designare, non quidem ex vi vocis, *ecce*; sed quia de Deo loquens ait, *Ecce Deus salus mea*. patet autem Deum adesse, ac semper & vbique esse præsentem: in tribulationibus præcipue, vt ipsemet sæpe pollicitus est. quod aduertens propheta, siue ex se, siue in persona populi in tribulatione positi; Dei promptitudinem ad exaudiendum agnoscens, ait, *Ecce Deus saluator meus sperabo in eum.* Quam Dei præsentiam Moyses testatur Deut. cap. 4. *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes*

tes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Propterea ait propheta *Ecce Deus salutis mea*; præsens & appropinquans nobis est: in eo igitur sperandum est, non in hominibus: quia maledictus homo qui confidit in homine.

Neque veritatem habet quod ait, particulam הנה *hinnè*, designare præsentiam rei; quia inuenitur coniuncta pronomini primæ personæ; cum dicitur הנני hinnèni, *ecce ego*: quod numquam dicit quis, nisi cum re vera præsens est, & eiusdem significati est particula הנה *hinnè* separata. Hoc inquam falsum omnino est, vt sacræ scripturæ testimonijs comprobare possumus. licet re vera pigeat argumento huic leuissimo tam longam tradere responsionem. Sed vt appareat huius Rabbini Isaaci Abrabanellæ inscitia, cum ignoret, in diuina scriptura inueniri millies particulam *ecce* significantem tempus futurum; quin & multoties de præterito dici, vt in pluribus locis patet, hæc tantum proferamus. Isaiæ cap. 43. Deus dicit הנני עשה חדשה hinneni hosè chadasà, *Ecce ego facio nouum*: fecit ne tunc, dum loquebatur, quidquam noui? nequaquam; sermo est enim de tempore Messiæ. quod fatetur Rabbi Dauid Chimchi, dicens, הנני עשה פליאה חדשה והוא אומר על קבוץ גליות Ecce ego facio mirabile nouum: *hoc dicit de congregatione ca-*

 ptiuita-

ptiuitatum. idest de ipsorum redemptione, quam per Messiam faciendam expectant: & tamen dicit, *ecce ego*. non igitur rei præsentiam vox, *ecce*, designat. Zachariæ capite 3. הנני מביא את עבדי צמח Hinneni meui eth habdi tsèmach. *ecce ego adduco seruum meum germen*. Messiam, vt constat ex Paraphrasi chaldaica. qui tamen ab eis negatur venisse. quomodo igitur stat locutio ista de tẽpore præsẽti, quæ nõdũ p vos adimpleta est? Malach. 3. הנני שולח מלאכי Hinneni soleach malhachì. *ecce ego mitto angelum meum*, qui secundùm Rabbinos est vel Messias, vel Elias propheta, qui ante mundi finem venturus est: de quo expressiùs in fine capitis ait, *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies domini magnus & terribilis*. In præsenti tempore loquitur; & ab eo vsque ad hoc tempus plusquàm bismille anni transierunt, nec tamen eius verba complementum acceperunt. Nullo ergo pacto dicendum, quòd cùm propheta vtatur modo illo loquendi cum particula demonstratiua *ecce*, de tempore, quo ipse viuebat, istaque protulit, intelligi debeant. Neque necesse fuit, quod vellet Rabbinus, vt propheta diceret, erit in fine dierum sic & sic; quoniam Malachias de mundi fine loquens, nõ ait, erit in fine sæculi hoc quod annuncio: sed dixit, *ecce ego mitto angelum meum*. quia sciebat

bat ita esse futurum, ac infallibiliter euentu-
rum quod prænunciabat, atq. tanquam de re
præsenti loquebatur. Ita Isaias ait, *Ecce vir-
go concepit.* quamuis nisi post sexcentorum
annorum decursum conceptura fuisset.

Secundo loco impugnat Rabbinus iste di-
ctionem עלמה *balma*, quam supra ostendi-
mus virginis significatum habere: ipse autem
hoc negans, ait, תב' ממה שאמר הנה העלמה
וחשבו מפרשי הנוצרים שלא נמצא בכתוב שם עלמה
כי אם בבתולה כמו שהוכיחו ממה שאמר ברבקה
עלמה והיתה היא בתולה ואיש לא ידעה. וגם במרים
אחות אהרן נאשר עלמה בהיותה בילדותה ובבתוליה
ולכן גזרו אומר ששם עלמה הוא נרדף לבתולה.
ואינו כן כי מבואר הוא לכל עברי שזה השם בלשון
הקדש אינו נופל על הבתולה כי גם כן יאמר על
הנבעלת והמורה עליו אמרו שלשה המה וגו' ודרך
גבר בעלמה וסמיך ליה כן דרך אשת מנאפת וגו' והוא
המורה הראות מבואר שלא אמר עלמה כואם על
הבעולה וכדי להנצל מחספק הזה קצתם העתיקי
ופירשו דרך גבר בעלמה ר"ל בעלמותו ונערותו Se-
*cundum argumentum. Ex quo in textu dici-
tur,* Ecce halma, *putauerunt Christianorum
expositores, non inueniri in sacra scriptura no
men balma, nisi in significatione virginis: si-
cut argumentati sunt ex eo quod habetur Ge-
nesis capite 24. de Rebecca, quæ ibi balma
appellatur,* Virgoque erat, & vir non
cognouerat eam. *quod & de Maria soro-
re Aaronis affimant, nomine balma vocata,*

tum in infantili ac virginali ætate constituta esset. Ac propterea determinarunt, nomen halma *virginis habere significatum. At non est ita: cuilibet enim hebræo cognitum est, nomen hoc in lingua sancta non denotare virginem; eo quod & de nupta seu corrupta muliere dicitur. Quod ex lib. Prouerb. cap. 30. ostenditur, vbi habetur,* Tria sunt mirabilia mihi &c. viam viri in halma. *deinde subditur.* Sic est via mulieris adulteræ &c. *Ex hoc patet, non dici nomen* halma *nisi de muliere corrupta. Quod vsque adeò verum est, vt quidam ex ipsis, huius difficultatis declinandæ causa, traduxerint,* Viam viri in adolescentia.

Huic argumento tàm prolixè enarrato non opus est aliam afferre responsionem, quàm superius allatam ad Rabbi Dauidis obiectionem. Diximus enim, & ratione, atque scripturarum auctoritate probauimus, *halma* virginem omninò denotare, & præcipue ex locis à Rabbi Isaac adductis nostra sententia vera ostenditur. In illo enim Genesis cap. 24. de Rebecca dicitur, *Virgo erat, & vir non cognouerat eam.* & vocatur hoc nomine *halma*. quod nequaquàm dici posset, si verum esset quod in argumento ait Rabbinus, non dici nomē *halma* nisi de muliere corrupta. Ita Mariam Aaronis sororem, nulli dubium esse debet, virginitatis flore

flore fuisse ornatam eo tempore, quo *balmà* appellata fuit, tunc enim in tenerrima ætate erat. Exod. cap. 2. Quod autem subdit de Prouerb. cap. 30. vbi habetur vox *balmà*, dicens, ibi non virginem denotare, sed potius meretricem, quia sequitur, *Sic est via mulieris adulteræ, quæ comedit &c.* ex ijs quæ in primo libro cap. 7. diximus, patet responsio. Non enim concluditur, vnam & eandem esse *balmà*, & mulierem adulteram, de qua Salomon in sequenti versu loquitur, ex vi illius particulæ *sic*; immò totum oppositum demonstratur, diuersam omninò personam esse hanc ab illa, licet in vna admirationis ratione conueniant. Nam cum Sapiens multa sibi mirabilia, atque difficilia prędicaret, inter quæ est via viri in *balmà*, quam non modò mirabilem ac difficilem, sed penitùs sibi ignotam fateretur, addidit, *Sic est via mulieris adulteræ &c.* ac si diceret: Miror quoque ex alia parte viam mulieris tam impudentis, quæ cum millies peccauerit, tamen se peccasse negat, ac aperta fronte dicit, *non sum operata malum.* Et quod magis nostram rationem corroborat, est, quia Sapiens hanc viam viri in *balmà* se nescire testatur: hoc autem nunquàm omninò asserere posset de muliere adultera, de impudentissimo scorto; omnes enim sciunt tales illarum mores esse, vt quamuis inhonestissimæ

 sint,

sint, honestatem tamen ad homines decipiendos foris ostendunt. Hoc etsi aliquam affert admirationem, non tamen talis tantaque res est, vt eam se ignorare Salomon fateri cogatur. Hoc si aduertisset Rabbinus, ex hoc loco non sumpsisset argumentum ad suos errores tuendos.

Neque pro eo quicquam facit, quod in nostra editione habetur, *Viam viri in adolescentia.* hoc enim non probat, nomen *balma* adulteræ conuenire. At noster interpres non respexit mysterium virginei partus, de quo ibi agitur, vt supra declarauimus, ideo traduxit *adolescentulam*, vt in aliquibus correctis codicibus habetur; quod & in cæteris locis fecit. In duobus tamen vertit *virginem*, qui sunt Gen. 24. de Rebecca, & Isaiæ cap. 7. de Christi matre. In alijs autem, *balma* adolescentulam, puellã, & iuuẽculam interpretatus est. tamen in textu græco habetur *ἢ ὁδοὺς ἀνδρὸς ἐν νεότητι.* hoc est, *viã viri in adolescẽtia.*

Sequitur tertio loco Rabbinus, ac putans se aliquid probare, ait; הנ' מאמרו הנה העלמה
הרה. ומלת הרה היא מהווה שהיתה כבר הרה
לא שתהר אחר כן שש מאות שנה: ואם היה
הנביא מדבר על העתיד היה ראוי שיאמר הנה העלמה
תהר על דרך ותהר ותלד בן לא שיאמר הרה
שמורה על היותה הרה בהווה מלשון והנה היא הרה
Cum dicatur in textu; Ecce halma harà. vox, harà, *præsentis temporis est; significans.*

cans, grauida est. quo ostenditur tunc temporis grauidam fuisse mulierem, de qua est sermo, non autem quod grauida futura fuisset sexcentos ab illinc annos. Si *enim propheta de futuro tempore locutus esset, vtique debuisset, dicere* ecce halmà concipiet. *Cum ergo dicat*, concepit, *seu* grauida est, *indicat de muliere tunc viuente se esse locutum.*

Maxima Iudæorũ inſcitia in hoc argumẽto apparet, quod nullam prorſus vim habet, eò quòd ſedes eius eſt tempus, quod nullum in ſcriptura habet fundamentũ; in qua, vt aiunt Rabbini, neque præteritum, neque futurũ reperitur: hoc eſt nulla temporum habetur ratio; cùm ſæpiſſime præteritum pro futuro ponatur, & è conuerſo; vt inter alios annotauit Rabbi Dauid Chimchi. Nec licet arguere: hoc in tempore præterito profertur, ergo fuit. ſed rectè infertur, ergo erit. Prophetæ enim ſepæ ſæpius ob rei, de qua loquuntur, certitudinem, præſenti, & præterito loco futuri vtuntur: ac de re facienda, quia eam certiſſimè & infallibiliter futuram ſciunt, non faciendam, ſed factam prædicant. Pſal. quarto ait Dauid, *In tribulatione dilataſti mihi*, pro *dilatabis*. eſt enim depræcatio. Pſalmo 16. *Vt non moueantur veſtigia mea*, In textu hebraico habetur נמוטו namotù, *mota ſunt*: ſed debet intelligi pro futuro, *mouebuntur*:

Ierem.

Ierem. cap. 3. *Vox in vijs audita est*. Rabbi Salomon interpretatur קרוב הוא להשמע. *Propè est, vt audiatur*. Et cap. 4. *Fugit omnis ciuitas*. idest *fugiet*. Et cap. 23. *Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur*. In hebraico dicitur יצאה iatsea, *egressus est*. sed debet accipi pro futuro, *egredietur*. Et cap. 29. *eieci eos*. idest *eÿciam*; nondum enim eos, cum loquebatur, eiecerat. Quamuis ergo Isaias dicat *Ecce balma concepit*, non ob id concludendum est, de aliqua suo tempore viuente muliere locutum esse; cum nulla possit assignari, cui ea, quæ à propheta dicuntur, aliquo pacto conueniant; sed ad Christi tempus respexisse: ac de eius matre virgine integerrima prophetasse dicentem, *Ecce virgo &c.*

Nunc nomen, quo vocandum fuisse huius virginis filium ait propheta, impugnat Rabbinus dicens: הד׳ מאמרו וקראת שמו עמנואל וידוע שלא קרא אדם לישוע הנוצרי שם עמנואל לא שקראוהו אמו כן ולא שהיה נקרא בזה השם מפי אחרים. וכבר התאמצו גם כן להשיב לזה באמרם שיש לדבר שם טבעי ושם הסכמיי כמו שם אדם לאדם שהוא טבעי אליו ושם סקראט שהוא הסכמיי לפרטיותו וישוע היה לו שם הסכמיי ואמנם עמנואל היה לו שם טבעי מפאת אלהותו: ואלה דברי רוח כי על השם הטבעי לא יאמר הכתוב וקראת שמו עמנואל כי אם על הסכמיי שיסכימו לקוראו כן. ועל השם הטבעי נאמר הוא שמו והיה לו לומר והיה שמו עמנואל לא

וקראת

וקראת שמו שתלה הדבר בקרא את שיקראו אותו כן. כי לא נאמר בנער אחר הנולד שאמו הקראהו אדם לפי שהשם הזה אלין אינן מהקריאה אבל הוא מהטבעי

Hoc est. Et vocabis (*ait Propheta*) nomen eius Emmanuel. *Notum est, à nemine vocatum fuisse Iesum nomine Emmanuel: non vocauit eum mater hoc nomine, neque ex aliorum ore unquam tali titulo appellatus est. Conati quippe sunt Christianorum doctores huic difficultati respondere, dicentes, duo alicui rei nomina conuenire: alterum est nomen naturæ, alterum nomẽ impositionis. Sicut hoc nomen,* homo, *conuenit homini à natura: alterum autem est nomen proprium. Atque nomen propriũ fuit* I*esus*: Emman*uel autem nomen naturæ, ratione diuinitatis eius.* At *hæc vanitatis verba sunt: quia de nomine naturæ non diceret scriptura, vocabis nomen eius* Emman*uel: hoc enim de nomine impositionis tantùm verificatur, in quo homines conueniunt, vt vocent aliquem tali nomine: sed de nomine naturæ dicitur,* Hoc est nomen eius. *Et ita dicendum erat,* Et erit nomen eius Emmanuel, *non autem,* & vocabis nomen eius, *quia sic dependet à nominatione hominum, eò quòd homines sic eum nominant: Sicut de puero aliquo nunc nato non dicitur,* Vocabitur nomen eius homo, *eò quòd nomen hoc non conuenit ei ex nominatione, sed ex natura.*

Et

Etsi in nostra latina editione habetur, *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*, tamen in hebraico textu legitur, *& vocabis.* Refertur autem ad virginem parientem, cum verbum illud sit fœminini generis; lingua enim sancta habet genus etiam in verbis. & ideo mater vocatura erat filium suum Emmanuel, ipsamet ei nomen imponens. Ex quo colligimus, filium, qui nasciturus erat, fore vt patre careret. Si enim patrem habuisset, ipsum sine dubio filio suo nomen impositurum propheta dixisset: cum non matres, sed patres filijs nomina imponere solerent. Ergo si sine patre nasci debebat Christus, de quo certissimè Isaias hoc loco loquitur, vt supra ostendimus, mater eius omninò virgo futura erat. & hoc habemus ex eo quod Rabbinus adducit ex textu. Cum autem de Iesu loquens ait, eum nomine Emmanuel nunquam fuisse appellatum, mẽdacem ac temerarium se declarat. Mendax quippe est, dicens Iesum à matre sua non fuisse Emmanuelem vocatum, cũ scriptura dicat, eam vocaturam esse filium suum nomine illo. nec vnquã probabit, eum à matre sua tali nomine non fuisse appellatũ. Temerarius est etiam in eo quod ait, alios eum non sic nuncupasse, cum re vera omnes eius fideles eo nomine, si nõ expresse & quãtum ad exteriorem syllabarum sonum, certè quantùm ad significatum quotidie & semper

Emma-

Emmanuelem vocent & confiteantur. Quid enim est Emmanuel, nisi nobiscum Deus? cum nostra videlicet carne humanaque natura, quam assumpsit, sibique hypostaticè vniuit? hoc est vocari Emmanuelem, Deum & hominem esse. In hunc credunt Christiani omnes, de hoc loquuntur, hunc orant, in hoc sperant, Deum verum, verumque hominem confitentes. Hoc autem præcipue tribuitur matri, quæ eum illo nomine vocatura erat: quia ipsa sola certò sciebat, filium suum verum Deum ac hominem esse.

At cur non publicè & communiter ab omnibus Emmanuel vocatus est? Quia, vt ait Rabbinus, nos respondere, cum homo habeat duplex nomen, naturæ, & impositionis: non appellatur quis nomine naturæ, sed nomine impositionis; non enim dicimus ò homo, sed ò Dauid, ò Petre. Iesus ergo nomen erat impositionis, à quo communiter vocabatur ab omnibus: Emmanuel verò nomen est naturæ, quis, qualisq. ipse esset, ostendens. Hoc autem nomine non vocaliter in communi modo loquendi, sed corde in eum credendo, ore etiam Deum & hominem, vt Emmanuel sonat, prædicando, à suis fidelibus nuncupabatur. Quo sensu intelligitur id quod habetur de nomine Messiæ apud Ieremiam capite 23. וזה שמו אשר יקראו יי צדקנו Vezè semò aser ijcreu Adonai

Adonai tsidchenu. *Et hoc est nomen, quo vocabunt eum, Deus iustus noster*, vel, *Deus iustitia nostra*. Quia Christus in mundum veniens iustificaturus erat homines, vt ex vaticinio Isaiæ cap.53. comprobatur dicentis, *In scientia sua iustificabit seruus meus* (Messias) *multos*: ideo appellandus erat, Deus iustitia nostra, Deus qui nobis iustitiam tribuit; sicut dicitur Deus salutare meum, idest, qui dat salutem mihi. Non quòd ita re vera vocandus esset tanquàm proprio nomine ei ab hominibus imposito: sed ita credendus ac prædicandus erat. Vnde sequitur, falsum esse quod ait Rabbinus, scripturam, cum de nomine naturæ loquitur, numquàm dicere, *Vocabitur nomen eius*, sed sic, *Erit nomen eius*; quia hoc nomen, *Deus iustitia nostra*, naturæ est, cum explicet quid acturus esset Christus, quisue futurus, & tamen Ieremias ait: *Hoc est nomen quo vocabunt eum*. Et apud Isaiam cap 9. de nominibus naturæ Dei, quæ sunt, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, quæ Deo naturaliter conueniunt, dicitur, *Et vocabitur nomen eius &c.* Sed intelligitur non de vocatione exteriori & vocali, sed de declaratione, & fide; Ac si dicat, Christus credetur, declarabitur Admirabilis, Deus, fortis, Deus iustitia nostra, & ita Emmanuel, Deus nobiscum, Deus & homo.

Vel dicitur, Quod ratio quare de hoc homine naſcente dici non poteſt, Vocabitur nomen eius homo, ſed dicitur, Vocabitur, Abraam, Iſaac, Petrus, &c. eſt quia homo nomen eſt naturæ, nomen ſpeciei, vniuerſale, ac omnibus commune; & propterea, cum nomen debeat eſſe diſtinctiuum vnius ab altero, non poteſt eſſe niſi quid proprium: ideo bene poteſt ei attribui, dicendo, Vocabitur nomen eius Petrus, quod nomen huic eſt proprium, non illi. non autem dicitur, huius nomen eſt homo, vel, vocabitur nomen eius homo. At nomen Emmanuel licet non ſit nomen impoſitionis, non tamen eſt propriè nomen naturæ, neque eſt commune, ſed proprium nomen: eſt enim Deus & homo, illi perſonæ proprium. Propterea nihil prohibet quin dici poſſit, *Vocabitur nomen eius &c.*

Quintum Rabbini argumentum his verbis continetur הת׳ באמרו כי בטרם ידע הנער מאוס ברע ובחור בטוב . כי זהו הפך מה שקבלו הנוצרים שישוע מעת שנולד היה חכם בתכלית השלמות וגם לזה השיבו שעם היות ישוע בבחינת אלהותו חכם מתחילת ברואתו הנה בבחינת גופו וחומרו נעלמה החכמה ממנו ימים אחדים . וגם זה אין ענין לו שאם הוא היה אלוה הנה האלהות כחו כלתי בעל תכלית בהשכלת *Cum dicatur,* Antequam ſciat puer reprobare malum & eligere bonum, *oſtenditur oppoſitum eius, quod Chriſtiani tradiderunt, vt Ieſum à tempore ſuæ natiui-*

natiuitatis fuisse perfectè sapientem. Atque respondent etiam ad hoc, quod nimirum ex parte diuinitatis Iesus *fuit semper sapiens: at ex parte corporis eius, quatenus videlicet homo erat, abscondita fuit ab illo sapientia per aliquot dies. Hoc tamen non stat; quia si ipse erat* Deus, *diuinitas remansit sine intellectione.*

Iudæorum ignorantia mater est totius illorum perfidiæ, omniumque errorum. Quonàm pacto probari potest ex hac scriptura oppositum eius quod nos asserimus, scilicet Christum Iesum fuisse inscium, cum nos dicamus eum sapientissimum fuisse? Respondent, quia propheta ait, *Antequam sciat, &c.* ergo aliquo tempore non sciuit. At si veram Prophetæ verborum intelligentiam attigisset Rabbinus, hoc certè non dixisset. Neque verum est, nos dicere, Christum quatenus hominem aliquot diebus scientia caruisse, vt iste ait nos respondere: non enim fuit aliquod tempus, in quo nesciret: cum ab instanti suæ natiuitatis, immò & conceptionis perfectissimus homo fuerit ac sapientissimus. Sed cum propheta ait, *Antequàm puer sciat &c.* intelligitur de scientia humana Christi: quod non est intelligendum, vt prius fuerit homo, & post aliquod tempus scire incœperit. Sed sensus est, antequàm iste quem dixit vocandum esse Emmanuel, Deus nobiscum,

fiat

fiat homo sciens, idest scientiam habens humanam, derelinquetur terra &c. Hoc est, antequàm hoc, quod vobis prædico, eueniat; antequàm Deus nascatur & fiat homo, liberabitur terra Ierusalem ab obsidione, qua tenetur. Insuper & ex ipsis verbis prophetæ præcedentibus probatur. Christum nullo vnquàm tẽpore ignorantia laborasse; quæ verba assumũtur ab aduersarijs cõtra, quod docemus; nẽpe ipsum fuisse aliquãdo insciũ. dicit enim propheta de puero illo Emmanuele, *Butyrũ & mel comedet, vt sciat reprobare malũ & eligere bonũ.* Vnde inferũt, si comedebat mel, vt sciret, ergo antequã comederet, nesciebat. Sed hæc verba sanè intellecta non modò nobis nõn obsunt, sed maximè iuuant ad propositũ probandũ. hebraicè habetur לדעתו ledahtò *ad sciendũ ipse.* Non enim sunt intelligenda, ita vt particula, *vt,* finem significet, sed causam præcedentem designet. & idem est, vt sciat, ac si dicat, sciendo. non enim ideo comesturus erat, vt sciret, sed quia sciebat reprobare malum & eligere bonum: seu sciens reprobare malum, & eligere bonũ, comedet butyrum & mel tanquam eligens bonũ. Huius generis locutiones multæ inueniũtur in scripturis Deut. 31. *Noui,* ait Moses, *quod post mortem meã iniq. agetis, & declinabitis cito de via, quam præcepi vobis; & occurrent vobis mala in extremo tempore,*

quando feceritis mala in conspectu Domini, vt irritetis eum per opera manuũ vestrarum. Verbum, *vt irritetis*, quod hebraicè est gerundium להכעיסו lehachisò, *ad irritandum eum*, interpretatur, irritando eum. non autem quod sit finis prauorum operum, de quibus est sermo. Lib. 3. Reg. cap. 17. *Viduam afflixisti, vt occideres filium eius.* להמית lehamith, *ad occidendum.* idest occidendo: & alia loca sunt in quibus infinitiuus hebraicus cum litera ל *lamed*, quæ constituit gerundium, hoc modo exponenda sunt. sic & verba Isaiæ, *Vt sciat*, *siue*, *ad sciendum ipse*, hoc est, sciendo ipse reprobare malum & eligere bonum, butyrum & mel comedet. Ergo priusquàm comedisset, sciebat: & antequàm aperuisset os ad comedendum, sciebat bonum & malum. & ita dicendum, quòd semper fuit sciens, & ante natiuitatem sciens erat. quod nulli puro homini datum est, sed solum Emmanueli: illi, qui Deus & homo fuit.

CAPVT X.

Præcipuum Iudaeorum argumentum proponitur, ac soluitur.

SExto loco proponit Rabbi Abrabanel argumentum à Rabbi Dauid Chimchi

alla-

allatum; sed maiori verborum efficacia illud prosequitur, dicens. הר' באמרו תעזב האדמה אשר אתה קץ מפני שני מלכיה. והוא ספק עצום מבואר מעצמו כי אם אחז ירא ומפחד מרצין ובן רמליהו ועל זה היה הנביא נותן לו אות להבטיחו שלא ירך לבבו ולא יפחד איך יהיה האות כענין שמים ובתוליה והגשמת האל. והיה הצרה קרובה והאות שנתן לו היה על דבר עת הלש מאות שנה. *Dicit scriptura*, Derelinquetur terra; quam tu detestaris, à facie duorum regum suorum. *Dubium hoc graue est, vt ex ipsomet apparet. Erat Achaz timens & pauens à* Razin *& filio* Remaliàhu. *Super hoc dabat propheta signum, vt illum tutum redderet, ne caderet animo. Quomodo signum hoc erit partus* Mariæ, *eiusque virginitas, ac* Dei *incarnatio? Tribulatio præsens erat, signum autem futurum erat sexcentis ab illinc annis.*

Huic dubio, quod tàm graue à Rabbino reputatur, multipliciter responderi potest. Primò ex ijs quæ supra diximus, hoc locò Isaiæ de duabus liberationibus haberi sermonem: vna temporalis est, spiritualis altera. prima fuit illa, quam Achaz rex expectabat, licet non crederet sibi à Deo afferendam. Cuius occasione incepit Propheta loqui de alia longè maiori liberatione, de spirituali videlicet redemptione per Messiam agenda. Huius rei coniecturam facit id quod Dominus in cap. 8. præcepit Isaiæ dicens, su-

Editio Velociter spolia detrahe: festina prædare.

me tibi librum grandem, & scribe in eo stilo hominis, מהר שלל חש בז Maher salal chas baz. *Accelera prædam, festina spolium*, iussitque hoc nomine vocandum esse puerum nasciturum; quem superius diximus, eum esse, de quo in septimo capite agitur, Messiam, vt probauimus. Quare autem hoc duplici nomine appellatur, nisi ad denotandum de duplici liberatione haberi sermonem? Quod verum esse constat ex verbis Rabbi Salomonis dicentis, Prophetam in eo loquendi modo, de duplici præda voluisse verba facere: alteram, quam passi sunt Hebræi ab Assyrijs, alteram à Nabuchodonosor. Quod dictum in eo tantum habet veritatem, quod de duabus rebus fatetur, hanc esse prophetiam: fallitur autem, cum duas has res dicit esse prædas, cum sint liberationes, & prædarum ereptiones. Non enim credibile fit, Prophetam, cum de liberatione ab obsidione illa loqueretur, consolans eos, ne hostium vires timerent, voluisse de tam tristibus euentibus; quales fuerunt, cum ab Assyrijs, ac à Nabuchodonosor captiuati fuerunt, voluisse miscere sermonem. Erit igitur vera ac firma nostra sententia, de duplici liberatione Isaiam agere voluisse, de temporali, quæ erat ab vrbis Ierusalem obsidione: ac de spirituali, quam Messias in mundum veniens operatu-

rus erat. Pro vtraque affert signum, dicens *Propterea dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo prægnans & pariens filium.* Ac si dixisset, Præter hanc, quam modò videbitis ab hac obsidione liberationem, aliam longè maiorem cernetis; & hæc fiet, quando Deus nascendo, euadet Emmanuel, idest Deus nobiscum, cum carnem nostram assumens nobiscum conuersabitur. Cuius rei si quæritis signum, do vobis, Ecce virgo concipiet &c. Hoc est, cum iuuenculam absque viri consortio, & humani seminis ministerio grauidam inueneritis, scitote tunc propè esse redemptionem vestram à misera diaboli seruitute; illa enim iuuencula virgo pariet vobis Saluatorem; qui eò quòd homines de manu inferni redimet, vocabitur festina prædare, prædam inferni eripiet, animas pauperum saluas faciendo.

Cum ergo Iudæus arguit, conceptum Mariæ virginis non potuisse esse signum liberationis Achaz regis à duobus illis regibus; respondetur cōceptum illum ac partum fuisse datū pro signo illius spiritualis redēptionis per Messiā agendæ. Atque sensus verborum Isaiæ est, ac si diceret, Video vos non credere potentiam Dei ad eripiendam vrbem hanc à periculo, in quo versatur propter duorum regum obsidentium fortitudinem: at ego maiora vobis anuncio. potēs est

Deus totum mundum, nè dùm ciuitatem istam eripere; sicut cernent homines ipsum in terram descendentem, atque cum diabolo mundi principe pugnantem; omnem ab eo prædam auferentē, totumq; mundum ab eius tyrannide redimentem. Cuius rei ecce dat ipse vobis signum, *Ecce virgo prægnans &c.* Attamen antequàm hoc fiat, quamuis propter vestram incredulitatem, omni gratia indignos vos reddatis, Deus sua benignitate à præsenti malo eripiet. Et hoc est quod ait, *Antequàm sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra à facie duorum regum.* Hoc est, antequàm hoc eueniat, priusquàm Deus fiat Emmanuel, vrbs Ierusalem ab obsidione saluabitur.

Hanc responsionem quamuis optimam reijcit Rabbinus in his verbis. ובבר חתרו לתנא מהספק הזה באמרם שלא היה הנס לאמת הנבואה שאמר לאחז כי אם להודיע גם שיעשה השם גדול ומפורסם בעולם ושלכן אמר זה בנגד בית דוד להודיעם שממשפחתם תבא מרים שתלד את האל ושהוא יעות לא מופת על הצלת אחז. וגם זה אין לו מקום לפי שבתחילת אמר הנביא לאחז שאל לך אות מעם ה׳ אלהיך העמק שאלה או הגבה למעלה. ואין ספק שהיה האות על בטחונו מאותם המלכים וכאשר אחז השיבו לא אשאל ולא אנסה את ה׳ אמר לו הנביא לכן יתן ה׳ לכם אות וזה מורה שהאות הזה היה אותו אשר אמר לו שישאל בראשונה ולא היה

אם

אם בן יעוד מה שיהיה ולא הודעת גם אחר גדול ממנו כי אם אות על אותה נבואה ובטחון שאמר לו ומפני זה יחוייב שיהיה האות מגיע קודם זמן הבטחון שהבטיחו כיון שהוא היה כדי להאמין בו. ואיך יאמר אדם בעל שכל מאמר בטרם ידע הנער מאוס ברע ובחור בטוב תעזב האדמה וגומר נאמר על ישוע מאחר ששני המלכים ההם עזבו האדמה שש מאות שנה קודם לדתו. *Et iam curauerunt Christianorum doctores difficultatem hanc euadere dicentes, quod non fuit signum hoc pro veritate prophetiæ, quam dixit* Isaias *ad Achaz: sed ad notificandum signum quod* Deus *factus erat maius illa in mundo. ac propterea dixit hoc domui* Dauidis, *ostendens ex eius familia descensuram* Mariam, *quæ* Deum *paritura erat. Hoc autem est promissum seu testimonium, non signum liberationis Achaz regis. At neque hoc locum habet: eò quòd in principio dixerat propheta ipsi Achaz*, Pete tibi signum à Domino Deo tuo: profunda petitionem, aut eleua eam desuper. *& erat proculdubio signum pro securitate liberationis à duobus illis regibus. Cum autem respondit:* non petam & non tentabo Dominum, *dixit ei propheta*, Propterea dabit Dominus vobis signum. *hoc autem ostendit, quod loquitur de signo illo, quod dixerat à principio vt peteret. Quod cum ita sit, non erit promissio de aliqua re futura, neque alterius maioris signi prædictio, sed signum de*

illa prophetia, & securitate quam dixerat ei. At propterea necesse est, vt signum præcedat tempus securitatis, quam promisit ei: quia ad hoc dabatur signum, vt in Deum crederet. Quis autem rationis capax assereret, illud, Antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra &c. de Iesu dictum esse, postquam duo illi reges dereliquerunt terram sexcentis annis ante eius natiuitatem?

Huius Rabbini insipientiam nemo non videt. Ideo negat signum hoc esse partum intemeratæ virginis Mariæ Deiparæ, quia dabatur regi Achaz, ad hoc vt Dei potentiam crederet, timoremque illorum regum tunc ipsum obsidentium excuteret. Cuius rationem reddens, ait, Cum propheta inuitasset eum ad petendum signum à Deo siue in cælo, siue in inferno, ac postea ipse dederit signum de conceptu & partu illius *halmà*, necesse est quòd signum tunc apparuerit. Sed errat toto cælo homo iste: quia notat prophetam obtulisse signum regi Achaz, non autem animaduertit, ipsum Achaz tale signum renuisse, dicentem, *Non petem & non tentabo Dominum*. quod certe non dixit, quia re vera religione ductus Dominum tentare nollet: sed sub ijs verbis religiosum præseferens omne prorsus signum reiecit, ne signum videns, Dei omnipoten-

tiam, quam inficiabatur, postea fateri cogeretur. Quod cum propheta audiuisset, ad Dauidis domum sermonem conuertens ait, *Audite ergo domus Dauid*, *Propterea*: hoc est propter regis Achaz infidelitatem ac duritiem, qui à Deo signum petere noluit, *dabit Dominus vobis signum. Ecce halmá virgo concipiet &c.* Quis non videt, signum hoc non dari Achaz regi impio, qui oblatum renuit? Quod si petere contempsit, quo nam pacto dici potest, signum quod postea propheta dedit, ipsi Achaz datum esse? præsertim cum domui Dauidis testetur propheta signum illud Dominum esse daturum? Non ergo necesse fuit, vt signum præcederet tempus illud, in quo Achaz securitatem accipere debebat, cum de alia re longe maiori, quàm regis securitas ac vrbis liberatio, propheta loqueretur; de redemptione videlicet totius mundi à diaboli potestate per Messiam. Quæ tunc futura erat, cum signum illud maximum in mundo videretur, virginis nimirum conceptus & partus. Nec mireris Rabbine, id quod in textu dicitur, *Antequàm sciat puer &c. derelinquetur terra*, de filio huius virginis Iesu Christo mundi Saluatore nos explicare velle. non ne sic re vera fuit? non ne antequàm Iesus nasceretur, eruta fuit Ierusalem ab illa obsidione regum Israelis & Syriæ? At di-
ces,

ces, Hoc euenit sexcentis annis ante huius natiuitatem. Quid inde absurdi sequitur? nihil. Vrget Rabbinus, Hoc intelligitur de puero tunc nato, ante cuius discretionis annos Ierusalem eripienda erat. Respondetur, Id nulla ratione affirmari posse: sicut enim supra ostendimus, puer ille, quinàm fuerit, assignari nequit; cum nullus ex ijs quos Rabbini somniarunt, esse potuerit. non Ezechias filius regis Achaz, non filius filiæ Achaz, neque filius Isaiæ, denique nullus est, de quo tunc nato ea quæ dicuntur, verificari possint. Erit ergo Messias, qui est Iesus dominus noster, de quo propheta loquens pro signo eius aduentus dat virginis conceptum. deinde prosequens incœptum sermonem, ac de temporali liberatione agens, ait, *Antequàm sciat puer &c.* hoc est antequàm nascatur ille, quem dixi Emmanuelem vocandum, hoc etiam temporale beneficium recipietis, quod vrbs vestra derelinquetur, hoc est liberabitur à periculo, in quo propter duorum istorum regum obsidionem versatur. Non igitur hoc fuit signum ipsi Achaz ab Isaia oblatum, sed aliud longè maius domui Dauidis, credentibus nimirum ac fidelibus promissum, occasione accepta, ab eo quod signum regi obtulerat, ipsumque ad petendum prouocauerat.

Respon-

Respondere aliter possumus, dicentes, huius sanctissimæ virginis partum etiam fuisse quodammodo signum illius liberationis Ierusalem, non tamen partum præcisè sumptum, sed fidem talis partus, tantique miraculi, quod Deus operaturus erat, virgini vim pariendi tribuens, virginitate post partum integra & illesa. Quod sic deducitur. Agebat eo loci propheta de vrbis Ierusalem, quæ obsidebatur, ereptione, ac de totius mundi à peccatis redemptione, de qua occasionem nactus ex illa, sermonem habebat. Atque vt Dei bonitatem, benignitatem & potentiam, quas impius ille confiteri renuebat, ostenderet, de hac secunda cœpit habere sermonem, in qua proculdubio excellentiùs ac sublimiùs omnia hæc diuina attributa cernuntur, & hæc tunc ad lucem ventura erat, cum virgo grauida foret. In signum igitur temporalis tunc futuræ saluationis affert spiritualem redemptionem, cuius initium virginis partus fuit; non quia hac visa, illam crederent; hoc enim prorsus impossibile erat, cum inter eas sexcenti intercesserint anni; sed vt hac credita, illius recipiendæ se dignos efficerent; vt per fidem virginei partus futuri, quem Isaias prænunciabat, liberationem à præsenti malo reciperent. Atque hoc signum præcedere debuit liberationem; & in hoc sensu dicitur propheta eis

ra eis dedisse signum pro illo, quo tunc premebantur, malo effugiendo. Ac si aperte dixisset; Vultis ab hac obsidione liberari? vtique Deus vos liberabit: pro signo vobis sit, quod multò maiora pro vobis ipse facturus est; eruet enim vos ac omnes homines à grauiori malo, ab obsidione diaboli, tunc cùm virgo grauida erit. Si hoc credideritis, eripiemini.

Duabus coniecturis responsio ista comprobatur. Prima est, quia propheta de hoc signo verba faciens, non cum Achaz, sed cum domo Dauidis loquitur, cum credentibus nimirum; non autem cum incredulis habet sermonem: cum quibus ab re erat loqui de spirituali redemptione, qui nec temporalem credebant. Et propterea inquit, *Audite ergo domus David*; non tu Achaz, qui tam impius es, vt Deum te eripere posse neges, sed vos qui fideles estis auscultate. fidem ergo requirebat Deus, per quam eos erepturus erat. Altera sumitur ex antecedentibus prophetę verbis, quæ sunt אם לא תאמינו כי לא תאמנו Im lo taaminu, chi lo teamènu. *Si non credideritis, vel quia non estis stabiles*: vtque Rabbini aiunt, signum est, in vobis non esse fidem. Si non credideritis, non stabiliemini. non permanebitis, non liberabimini. at si fidem huic mysterio, quod annuncio, habebitis,

bebitis, absque dubio euadetis.

Huius responsionis non inualida inuenitur in sacra scriptura confirmatio. & est exemplum ex libro Genesis capite decimoquinto desumptum. Vbi loquens Deus cum Abraham, dixit, Noli timere Abram, ego protector tuus, & merces tua magna nimis. cui ille respondit. quid dabis mihi? hoc est, quæ nam erit hæc merces? quid boni à te recepturus sum? Suspice cælum, ait Dominus, & numera stellas si potes, sic erit semen tuum. Tunc credidit, inquit scriptura, Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Postea promisit ei terram, dicens, Ego Dominus, qui eduxi te de Vr chaldæorum, vt darem tibi terram istam & possideres eam. Quod cum Abram audiuisset, signum huius promissionis adimplendæ petijt, his verbis במה אדע כי אירשנה. Bammà edah chi hirasênna. *In quo sciam, quòd hæreditabo eam?* hoc est, Quod signum das mihi, quod ita futurum sit? Sume, inquit Dominus, vaccam triennem, capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. qui postquam iussa compleuit, post solis occubitum obdormiuit, atque in somnis dixit ei Deus, ידע תדע כי גר יהיה זרעך בארץ לא להם ועבדום וענו אתם ארבע מאות שנה Iadòah tedah,

tedah, chi gher ijhiè zarhachà beeretz lo lahem, vahabadum, vehinnu otham arbah meoth sanà. *Sciendo scies, quod peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & seruire facient eos, & affligent eos, quadringentos annos.* Locus iste omnino similis est illi, de quo agimus. sed tamen difficultatibus repletus est: quia non videtur quod hic dicitur, de quadringentis annis, quibus Abrahæ descendentes affligendi dicuntur in terra non sua; concordare cum eo quod habetur Exod cap. 12. vbi dicitur, per quadringentos ac triginta annos in Ægypto eos mansisse, hoc autem pugnat cum Iudæorum historijs, in quibus habetur solum bis centum ac decem annos fuisse patres eorum in Aegypto, vt patet etiam numeratione facta. Rabbi Salomoh hunc locum explanans ait, horum annorum numerum ab Isaac natiuitate incipere, à qua vsque ad exitum ex Aegypto quadringenti fluxerũt anni. at quomodo dicũtur fuisse quadringenti ac triginta? respondet Rabbi Bechaiài, incipere debere ab ipso Abraham, ex cuius vita anni triginta desumendi sunt. At hæ responsiones adhuc difficultatem patiuntur. quia cum scriptura dicat, *Affligent illos quadringentis annis*, non videntur anni isti incipere à natiuitate Isaac: quia tunc nec ipse peregrinus fuit, nec afflictus, nec eius posteri tunc affligi cœperunt.

nec

nec de Abraham videtur verum, cum in eodem loco scriptura d cat, *Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona.* non ergo illius nouissimi anni includuntur inter annos afflictionis. Tamen quia responsiones istæ etiam ab aliquibus ex nostris allatæ sunt ; admitti possunt. Sed non est hoc de quo differimus. Præcipuum dubium in hoc consistit; Cum Deus promisisset Abrahæ se ei daturum in hæreditatem terram illam, petijt iste signum, quo certò scire posset, eam se hæreditaturum esse; cui Deus, sume, inquit vaccam triennem &c. Modò quærimus, quodnam signum fuit hoc, vt per ipsum cognosceret Abraham, se promissionis terram possessurum ? Rabbi Bechaiai respondet, huiusmodi fuisse illius regionis, illarumque gentium morem, vt in pactis, conuentionibus ac promissis animalia quædam dilacerarentur, quasi imprecando simile fieri debere illi, qui fidei violator, promissa non seruaret ac conuentiones frangeret. & quemadmodum illarum animantium membra ita dilacerata & confracta nullo pacto in vnum restitui, nec in integrum redire poterant, sic Deum mentiri impossibile erat. Sed hoc non est ad rem; probat enim Dei firmum promissum, non autem signum quod Abraham petijt. Rabbi Salomon veteres Rabbinos secutus ait, signum Abrahæ datum sacrificia fuisse,

fuisse, quæ in animalibus ab ipso occisis, ac in frusta concisis designabantur. qua re ostendebatur, merito sacrificiorum filios ac posteros Abrahæ terram illam possessuros fuisse. Eius verba sunt. על ירושת הארץ שאל לו אות ואמר במה ארע. דא׳ במה ארע לא שאל לו אות אלא אמר לפניו הודיעני באי זה זכות יתקיימו בה ואמר לו הקדוש ברוך הוא בזכות הקרבנות. *Super hareditate terra, idest, de terra illa hareditanda, ac possidenda petyt Abraham ab eo signum, dicens, In quo sciam? Sed est alia expositio. Non tantùm petyt signum, sed dixit coram eo, Ostende mihi ob cuius meritum mei posteri stabilientur in ea. Dixit ei Deus benedictus, Propter meritum sacrificiorum.*

At si nihil aliud Rabbini isti intelligunt, nisi re vera sacrificiorum meritum in terram promissionis eos introducturum fuisse, falsum profectò loquuntur: fuit enim ex pura Dei benignitate ac liberalitate, nullis eorum præcedentibus meritis, illis elargita; nec sacrificia vlla ante terræ ingressum facta sunt, quibus eam mereri potuissēt in deserto enim, ait Amos propheta, nunquam sacrificia obtulerunt: non ergo virtute sacrificiorum illius terræ possessionis se dignos reddiderunt. Dici fortasse ab ipsis posset meritum præuisum futurorum sacrificiorum illi datum fuisse pro signo illius terræ ab eis possidendæ. Quod si verum esset, argumen-

Cap. 5

gumen-

gumentum huiusmodi contra eos formare possemus. Dedit Deus pro signo terræ possidendę sacrificia, quę annis quingentis postquàm terra possessa est, fieri cœperunt, quorum merito ipsi eam possederunt: ergo præuisum meritum alicuius rei futuræ causa meritoria esse posset alicuius præsentis boni nunc dati & concessi. Non igitur irridendi vllam habet Rabbinus occasionem, cùm nos audit dicentes, etiam liberationis tunc faciendæ tempore perfidi Achaz, signum fuisse virginis partum, quamuis sexcentis annis post ipsam liberationem euenerit. Dici enim secundùm ipsos posset, fidê huius partus suo tempore futuri vrbis Ierusalem saluationis causam meritoriam fuisse, sicut sacrificiorum quingentis post annis factorum meritum causam fuisse terræ possessæ asserunt. Sensus itaque literalis huius prophetiæ erit; Ne timeas Achaz reges istos, qui te bello premunt, quia liberaberis: pete signum, & ecce do tibi, *Virgo concipiet*. tantum abest, vt modò debellandus sis à regibus his, quòd sexcentis ab hinc annis videbitur apud vos mirabile hoc, virgo grauida erit, ac pariet Deum & hominem, Emmanuel ex ea nascetur, ac inter vos conuersabitur. nisi credideritis non permanebitis. fides huius rei à vobis

requiritur, ac huius fidei merito derelinquendam terram à facie duorum regum suorum, iuxta eorum sententiam dicendum esset.

Tertia responsio ad argumentum ea est, quæ communiter à nostris doctoribus affertur. qui aiunt, duo esse signorum genera in scripturis; alterum prænosticatiuum, alterum rememoratiuum. primum est, à quo aliquid venturum cognoscitur; cuius non desunt exempla. Cum Gedeon liberaturus esset Israelem, signum petijt, vt huius rei futuræ certior fieret & sic alia quamplurima. Secundum est illud, quod apparet postquam res, cuius causa datur, effecta est: & illius rei præteritæ signum fuisse dignoscitur. Horum signorum differentia est: quòd prænosticatiuum sẽper præcedit ea, ob quæ datur, & quorum signum est. rememoratiuum autem non sic: sed post rem, cuius erat signum, actam & completam, euenit, & apparet, respicitque præterita, quando per ipsum res gestæ nobis in memoriam rediguntur. Sicut crux est signum mortis Christi, non quidem futuræ, quia mors illi vltra non dominabitur, vt ait Apostolus: sed signum est, in memoriam præteritæ eius passionis ac mortis nos reducens. Exemplum huius habetur cap. 3. Exodi, vbi cum Dominus loqueretur Moysi de Israelis ab Ægypto liberatione

Iudic. 6.

ratione dans ei signum, ait: וזה לך האות כי אנכי שלחתיך בהוציאך את העם ממצרים תעבדון את האלהים על ההר הזה. Vezè lechà haoth, chi anochi selachticha, behotsiachà eth haham mimitsràijm, tahabdun eth haelohim hal hahar hazzè. *Et hoc erit tibi signum quòd miserim te. cùm eduxeris populum ex Aegypto: seruietis Deo super montem istum.* Nulli dubium esse potest, quin prius fuerit Moyses à Deo in Ægyptum missus, quàm eos, populum videlicet, Deo in monte illo seruiuisse, aut adorasse. & tamen hoc datur in signum, quòd Moyses à Deo in Aegyptum ad populum liberandum mitteretur. Non igitur necesse est, semper signum præcedere id cuius est signum: neque negandum, virginis partum Hierusalem liberationis posse dici signum, quamuis post illam euenerit. Huic simile est illud, quod 4. Reg. cap. 19. habetur, quod & à Rabbi Salomone cap. 3. Exodi explanante adducitur: vbi cùm Deus per Isaiam prophetam promisisset Ezechiæ regi, se cum de Sennacherib regis Assyriorum obsidione erepturum, hoc ei datur signum. *Comede,* inquit, *hoc anno quæ repperis: in secundo autem anno quæ sponte nascuntur; porrò in tertio anno seminate & metite; plantate vineas, & comedite fructus earum.* Ecce signum. & tamen eadem nocte angelus domini venit, vt ibi dicitur, per-

eussitq. In castris Assyriorum centum octogiata quinque millia. & rex Ezechias euasit, & vrbs Ierusalem liberata est. At, quid nam fuit prius, signum, an id, cuius fuit signum? Vtique hoc. ergo idem dicimus in re nostra. Euasit Ierusalem obsidionem: & virgo tempore suo pariens, signum illius fuisse cognita fuit.

CAPVT XI.

Responsio Rabbini ad supradictas solutiones, eiusque confutatio.

RESponsionem hanc vidit apud doctores nostros Rabbi Abrabanel: eamque non sufficienter argumentum euacuantem iudicans, his verbis impugnauit. ראיתי מחכמיהם שכתבו שפעמים בכתוב תבוא האות אחרי הדבר אשר הוא אות אליו והביאו מזה וזה לך האות כי אנכי שלחתיך בהוציאך את העם ממצרים תעבדון את האלהים על ההר הזה: שהיה האות על היציאה ענין מתן תורה שהיה אחר כך. וכן מה שנאמר בחזקיהו וזה לך האות אכול השנה ספיח וגו' וידוע שהיה מתן תורה אחרי יציאת מצרים והאות שנזכר בחזקיהו אחרי מפלת סנחריב. אבל גם אלה כולם הכל המה מעשה תעתועים כי לא אמר בפסח וזה לך האות

כי אם

כי אם על נס הסנה שראה או בוער באש או
שהיה האות על היציאה אותה הנבואה המגעת אליו
הוא אמרו וזה לך האות כי אנכי שלחתיך:
וכן פירשו ניקולו המפרש הגדול שלהם . ומה
שאמר אחריו בהוציאך את העם ממצרים וגו' הוא
להודיע תכלית השליחות לא שיהיה זה האות ,
ומה שאמר בחזקיהו וזה לך האות אכול השנה
ספיח יתבאר במקומו שלא היה כי אם אות לטובה
כמו שפירשתי למעלה לא שיהיה זה ראיה על
הצלתם מכף מלך אשור . *Vidi aliquos ex eorum ſapientibus, qui ſcripſerunt, aliquando in ſcriptura reperiri, ſignum poſt rem, cuius ſignum eſt, venire. adducunt autem pro hoc illud,* Et hoc ſit tibi ſignum, quòd ego miſerim te: cùm exire feceris populum ex Aegypto, ſeruietis Domino ſuper montem iſtum. *Quod fuit ſignum egreſſionis ex Aegypto, cum data eſt lex: quod poſtea factum eſt. Et ita dictum eſt Ezechiæ,* Etiam hoc tibi ſignum: Comede anno iſto id quod ſua ſponte creſcit &c. *Notum eſt autem legem, poſtquàm egreſſi ſunt ex Aegypto, datam eſſe: & ſignum Ezechiæ datum, poſt eadem exercitus regis Sennacherib, factum. At hæc etiam vana ſunt omnia, & opus ſeductorum. Non enim datum fuit Moyſi ſignum, niſi ſignum rubi, quem tunc vidit ardentem in igne. vel ſignum egreſſionis fuit prophetia illa, quæ ad eum peruenit, ideſt, cum Deus ipſi locutus eſt, dixitque,*

Exod. 3.

4.Reg. 19.

Et hoc tibi signum, quòd miserim te. *Ita exposuit Nicolaus magnus apud eos explanator. Quod verò deinde ait*, cum eduxeris populum ex Aegypto &c. *dixit ad ostendendum complementum missionis, non quòd hoc futurum esset signum. Illud autem de Ezechia dictum*, & hoc tibi signum, Comede hoc anno &c. *declaratur suo loco, quòd non fuit nisi signum in bonum, & sicut superius exposui: non quòd fuerit demonstratio liberationis de manu regis Assyriorum.*

Qui Dei in populum Iudæorum maledictiones aduertet, minimè mirabitur mendacia ista ex ipsorum ore audiens; hac pœna percussi sunt, vt Isaiæ cap. 49. ipsimet fatentur, *In tenebris*, aiunt, *ambulauimus, palpauimus vt cæci parietem*, quod Moyses Deut. 28. prædixerat euenturum, cùm ait, *Concepimus & locuti sumus de corde verba mendacij*. Vt fidei catholicæ mysteria celarent, mendacia de corde, voluntariè, ita esse re vera cognoscentes, adinuenerunt. Ecce quàm apertè fallitur iste, qui ait, verba illa, cum eduxeris populum ex Aegypto &c. non esse signum Moysi datum; cùm scriptura manifestè dicat oppositum dum ait, וזה לך האות vezé lechá haoth *& hoc tibi signum, quòd ego miserim te*, Cùm *eduxeris &c. colletis Deum super montem istum.* signum missionis est cultus Dei in monte

isto, tunc cùm super montem cum Deo locutus est Moyses, legemque ab eo accepit. quod longè post missionem Moysis in Aegyptum factum est. & sic habemus, signum euenire post rem, cuius est signum. Quod vt non fateatur Rabbinus, ait referri ad rubum ardentem, super quem in principio capitis dicitur Moysi apparuisse Deus: dicens, illud fuisse signum Moysi datum. Hoc autem dici nequaquàm potest; quia id, quod pro signo datur, declarat scriptura dicens, esse cultum in monte faciendum. Quod verò ait in confirmationem sui mendacij, hanc esse Nicolai de Lyra expositionem, ex huius verbis apertè constat, quàm mendax sit Rabbinus. Ita enim ait Nicolaus. Et hoc habebis signum, quòd miserim te. Secundùm Hebręos hoc refertur ad præcedentia: ac si dicatur, Visio, quam tibi ostendi in rubo, est tibi pro signo, quòd ego mitto te. Secundùm Catholicos refertur ad sequentem literam, cùm dicitur: Cùm eduxeris populum meum ex Aegypto, immolabis Deo super montem istum. Ac si dicatur: ego prædico tibi, quòd post eductionem populi mei immolabis Deo super montem istum; & cùm hoc tibi acciderit, erit tibi certum signum, quòd fui tecum in eductione populi de Aegypto. Hæc ille. Ex cuius verbis apparet manifestè, Nicolaum, non vt Rabbinus ait, pro visione rubi

rabi signum illud interpretari, sed tantummodò quid Iudæi præ eo intelligant, & quomodo exponant, referre. expositionem illorum recitat, non tamen eam sequitur: sed illam, quæ catholicorum est, ipse catholicus amplectitur, dicens, signum referri ad illud, *Cum eduxeris &c.* Locum deinde ex quarto Reg. capite 19. ineptè & falsè ab ipso interpretatum esse, apertè patet. Ait enim, esse signum in bonum, ac se superiùs in explanatione signi, de quo agit Isaias, exposuisse. Cuius verba supra allata, hæc sunt, האות הזות היה תשועת העם מיד צריהם ושירחיב השם להם ואכלו וישבעו ויתענגו על רוב שלום . וכבר נמצא בספרי הקדש שיאמר שם אות על זה כאם בדברי דוד שאמר פנה אלי וחנני תנה עוזך לעבדך והושיעה לבן אמתך עשה עמי אות לטובה ויראו שונאי ויבושו כי אתה ה' עזרתני ונחמתני הנה קרא התשועה והנחמה אות וכן מצאנו בדברי ישעיהו עצמו אמר לחזקיהו על הצלתו מיד סנחריב וזה לך האות אכול השנה ספיח ובשנה שנית סחיש וגו' . *Signum hoc fuit ipsa salus populi de manu hostium suorum: quando scilicet Deus dilataret eos, vt comederent, ac saturarentur, oblectarenturque præ abundantia pacis. Atqui reperitur in scripturis sanctis, nomen signi hoc significare, in psalmis præsertim, vbi ait David*, Respice in me, & miserere

mei:

mei: da fortitudinem tuam seruo tuo, & salua filium ancillæ tuæ. fac mecum signum in bonum, & videant odio habentes me, & pudore afficiantur: quoniam tu domine adiuuisti me, & consolatus es me. *Ecce nominauit salutem & consolationem, signum: sicut etiam inuenimus in verbis ipsiusmet Isaia, qui dixit Ezechiæ super eius liberatione de manu Sennacherib*. Et hoc tibi signum, Comede hoc anno id quod ex se oritur, anno secundo sponte germinata &c.

Noua proculdubio interpretatio est hæc: nec aliquis præter hunc nasutum Rabbinum somniauit, quòd pro signo accipiatur signatum, siue res, cuius est signum, & propter quam signum datur. Salutem quærebat propheta persuadere regi Achaz futuram, Deum nimirum velle ciuitatem illam ab hostibus saluare; quod vt crederent, dedit illis signum dicens, *Ecce virgo &c.* Hoc est signum, non autem salus, quæ est finis signi. Probatio autem ex psalmo ab eo allata ad ostendēdum, per signum accipi salutē ac liberationē, falsa est, vt sunt omnia quæ dicit; nā ibi Dauid salutē petit, signumq. salutis sibi ostendi rogat; vt inimici eius, qui eū saluandū negabāt, saluatū re vera vidētes confunderentur & obmutescerent. Et ideo cùm prius salutē postulasset, dicens, *Respice in me, & miserere mei: saluum fac filium*

ancillæ

ancilla tua &c. ſubdit, *fac mecum ſignum*, hoc eſt, Declara ſigno aliquo, te mihi eſſe propitium. ſignum aliquod & indicium mihi exhibe futuræ meæ ſalutis liberationiſque ex malis meis: vt omnibus manifeſta ſit mea liberatio. da mihi precanti ſigna futuræ meæ pacis. In bonum, hoc eſt, bonæ erga me voluntatis; appareat aliquod fauoris teſtimonium, quo beneuolentiam tuam in me teſteris. Ad hoc, vt oſores mei videant, te mihi opem ferre, meque à te conſolationem recipere, & confundantur qui dicebant, *Deus dereliquit eum, &c.* Quod corroboratur declaratione veterum Rabbinorum in Talmud in tractatu שבת *Sabbàth*, capite במה מדליקין vbi ſic habetur. אמר רב מאי דכתיב עשה עמי אות לטובה יראו שונאי ויבושו אמר דוד לפני הק'ב'ה רב'ש'ע' מחול לי על אותו עון אמר לו מחול לך אמר לו עשה עמי אות בחיי אמר לו בחייך איני מודיע בחיי שלמה בנך אני מודיע Dixit Magiſter, quid eſt quod ſcriptum eſt, *fac mecum ſignum in bonum, vt videant oſores mei, & confundantur?* Dixit Dauid coram *Deo benedicto, Domine mundi dimitte mihi peccatum illud. reſpondit Deus, dimiſſum eſt tibi. Ait Dauid, fac mecum ſignum in vita mea, ideſt, me viuente. Deus reſpondit, Te viuente ego non oſtendam; ſed in vita Salomonis filij tui oſtendam.* Ex quibus verbis patet, Dauidem petijſſe ſignum exauditionis

ſuæ,

suæ, peccatique cum Bersabæa perpetrati condonationis, quam antea postulauerat atque impetrauerat, nec nomine signi intelligit salutem, vt iste Rabbi somniauit, sed salutis signum euidens, vt inimici, qui ei à Deo peccatum condonandum non credebant, & condonatum videant, & confundantur. Deinde, quod magis est, ex hoc loco Talmudico habemus, signum posse rei, cuius est signum, succedere, neque necesse est semper præcedere; in quo errauit Abrabanel, omnesque Iudæi labuntur, Ecce enim Talmud apertè ait, Deum Dauidi suæ gratiæ quam acceperat, signum præcanti dixisse se eo viuente non daturum, sed tempore quo Salomon regnaret, signum liberationis Dauidis ostensurum. quod & fecit, vt Rabbini eodem loco subdunt, dicentes, *Quando Salomon ædificauit templum Domini, cum quæreret arcam in sancta sanctorum inferre, porta inter se colligata sunt & clausa; Cecinit Salomon viginti quatuor laudes, nec tamen exauditus fuit. Incepit & dixit,* eleuate portæ capita vestra, & eleuate vos portæ æternales, & introibit rex gloriæ. *neque exauditus fuit. Cum autem ait,* Domine Deus ne auertas faciem Christi tui; Memento misericordiarum Dauid serui tui, *statim exauditus est.* Rabbi quoque Salomon idem docet super psalmum 24. Non igitur Iudæis

nos irrideat, si postquam fuit vrbs Ierusalem ab obsidione erepta, virginis partus pro eius signo à nobis affertur, qui post liberationem vrbis effectus est. Ecce & ipsimet Rabbini talmudici post signatum ostendunt signum. Non ergo verum erit quod iste Rabbinus inuenit, dicens, signum esse salutem ipsam: quod ideo ait, vt verba illa ex 4. lib Reg. cap. 19. quæ etiam habentur Isaiæ cap. 37. ita accōmodet, vt negare possit, signum, post rem, cuius est signum, euenire: quod nos luce clarius ostendimus, cùm ibi dicatur, signum liberationis esse quòd comederent primo anno ea, quæ ex se nascuntur, in secundo autem ea alia, quæ ibi habentur; & tamen liberatio eadem nocte, postquàm hæc verba locutus est propheta, facta est per angelum, qui ex militibus Assyriorum cētum octoginta quinque millia occidit. Rabbinus autem ait, signum nil aliud esse, nisi liberationem ipsam, quæ tunc fuit, cum comedere cœperunt primo & secundo & tertio anno quæ promissa fuerant; non quòd signum debeat dici, sed pollicitatio bona. Iudicent modò omnes, qui rectè sentiunt, quàm verè & propriè nomina, quæ nobis ob responsa nostra Rabbinus iste imposuit, dicens, esse vanitates, opusque seductorum, ipsimet conueniant, qui re vera seductus nihil nisi vanissimum loquitur. Aperite cæci oculos, & stulti aliquando

quando sapite; patres vestros mendacium hæreditarium habuisse fatemini.

Septimum denique argumentum est, sicut cætera, puerile, nulliusque roboris. ait enim וזה כפק הז׳ מהמשך הפרשה שאמר אחר זה יביא ה׳ עליך ועל עמך ועל בית אביך ימים אשר לא באו למיום סור אפרים מעל יהודה את מלך אשור כי זה מורה שלא זה הנביא מדבר בענין אחז עם אותם המלכים הבאים על ירושלים ולכן נזכר אחריו ביאת סנחריב עליה בימי בנו חזקיהו : ואיך יסכול השכל האנושי שיכנס בין שני היעודים האלה המתיחסים בענינם ובזמנם ייעוד אחר שאינו מענינא ריומא לעתות רחוקות *Ex eo quod sequitur*, Adducet Dominus super te, & super populum tuũ, & super domum patris tui dies, qui non venerunt à die, qua separauit se Ephraim à Iehudà, regem Assur: *ostenditur, prophetam hunc non locutum fuisse de negocio regis Achaz cum duobus illis regibus, qui venerunt contra Ierusalem; & propterea mentio fit postea aduentus* Sennacherib *contra eam in diebus filij eius* Ezechiæ. *Quomodo humana mens capere potest, inter duo hæc opera, de quibus tempore illo agebatur, interpositum esse negocium alterum ab illo in dissantissima tempora complendum?*

O arduũ opus profectò, ò difficile negociũ, ita vt intelligi nequeat. A Iudæis stupiditate & amen-

& amentia percussis, scio hoc capi non posse; at ab ijs, qui vel mediocri diuinæ scripturæ scientia pollent, facili negocio cognoscetur, quomodo inter duo etiam diuersissima opera, de rebus ad Messiam pertinentibus agatur. Declarauimus supra: sed adhuc alio exemplo illustrabimus, quod ex eo, de quo diximus, Genesis loco, acceptum est. Petijt Abraham à Deo signum, quo cognosceret, se terram à Deo promissam possessurum esse: Deus autem non modò ei signum dedit: sed & alia multa reuelauit, quæ ad rem non facere primo aspectu videntur. prædixit Aegypti seruitutem, atque afflictionem filiorum eius in Aegypto. deinde ostendit ei captiuitates quas passuri erant Hebræi sub quatuor terræ regnis, vt veteres Rabbini docent in Talcut, quod & noui etiam fatentur. Quare ergo negandum est, in hoc Isaiæ loco, licet de rebus tunc euenientibus sit sermo, etiam de alia diuersa re verba fieri, cum mos prophetarum sit ex vna in alteram materiam transire; & cum de aliquo graui negocio sermonem aggrediuntur, statim ad aliud distantissimum prolabuntur? quod præcipue faciunt, cum de Messiæ temporibus eiusque operibus loqui volunt, de quo quauis occasione accepta, & aliquando absque occasione vlla, grauissima proferunt. Neque mirum: propter illum enim missi sunt à Deo

ad ho-

ad homines. Cum Iacob filijs suis futura temporalia prædiceret, ex improuiso ad Messiam sermonem conuertit, dicens, *salutare tuum expectabo Domine*, Genesis 49. Quamuis ergo propheta de Achaz, vrbisque Ierusalem liberatione loqui aggressus fuerit, de spirituali tamen totius mundi à peccato liberatione sermonem intermiscuit; quam tunc futuram prædixit, quando virgo conceptura erat ac paritura Deum & hominem, qui hominum futurus erat redemptor: deinde ad propositum suum rediens, de temporalibus tunc euenturis rebus sermonem resumpsit, dicens, *Adducet dominus super te &c.* quibus verbis comminatorijs studet propheta populum ad meliora reuocare, vt ad Deum conuersus, eius mereatur beneficia accipere. Atque hæc pro huius Rabbini argumentorum solutione dicta sufficiant. Si quæ sunt alia ab illis proposita, vel mendacia sunt, vel mendacijs innixa. Talis enim naturæ est miser hebræorum populus, vt sine mendacijs loqui nesciat. ac de ipso dicitur Prouerb. 20. ערב לאיש לחם שקר ואחר ימלא פיהו חצץ Harèb lahis lèchem sàcher, veachàr immalè pihu chatsàts. *Dulcis est viro panis mendacij; sed postea implebitur os eius lapillo.* O quàm libenter comedunt panem hunc Iudæi; ex quo postea ventrem lapillorum repletum habent. vt lapides efficiuntur duri,

duri, ac perfidi, nec nisi blasphemias loquuntur, vtque Ieremias ait, *Veritatem non loquuntur: docuerunt linguam suam loqui mendacium.* de quibus prius dixerat, *Quod si etiam viuit Dominus dixerint, & hoc falsò iurabunt.* etiam in iuramentis non est eis credendum. quia indurauerunt, ait, facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. Deus conuertat illos.

CAPVT XII.

Ex Ieremia propheta partus virginis ostenditur.

POst euangelici prophetæ Isaiæ de partu virginis nostræ dominæ illustrissimum testimonium, Ieremias etiam suum affert huius præclarissimi mysterij vaticinium; præmissa erga Iudæos illud non credentes aspera increpatione. Sic enim cap. 31. ait עד מתי תתחמקין הבת השובבה Had mathài titchamachin hal bàt hassobebà? *Vsque quo vagaberis, te huc illuc vertendo, filia rebellis?* hoc est, gens Iudæorum rebellis atque incredula quò vsque in perfidia persistes, diuinis reuelationibus resistendo? non ne vides quid fecit Dominus? quid nàm fecit? audi, כי ברא יהוה חדשה בארץ נקבה תסובב גבר Chi barà Adonài chadasà baàrets: necheba telobeb

Vulgata editio. *Vsque quo delitiis dissolueris filia vaga?*

tesobeb gàber : *Quia creauit Dominus nouum in terra : foemina circundabit virum.* Quid hoc est? nil aliud, nisi partus virginis, de quo loquitur, in verbis istis contineri potest; quæ cum sola sine viro virum paritura esset, ea sola dicitur circundatura virum, quæ certè noua res est, cunctis inaudita sæculis, à Deo tamen, vt suam potentiam ac bonitatem ostenderet, facienda. Sed cùm sicut nouum, ita maximum hoc sit, atque à Iudæis diuersimodè accipiatur : quid super eo commenti sint, operæ est, videamus; ac deinde veritatem hanc clariorem proponamus. Paraphrastes Chaldæus, cuius est apud Hebræos auctoritas maxima, ita hæc Ieremiæ verba interpretatur. עד אימתי את מתחסנא למיתב כנשתא דסגיאין תיובתהא ארי הא יי ברי חדתא בארעא ועמא בית ישראל יתינהון לאורייתא Had hemathi at mithchasnà lemittab chenistà de sagghin tihubtahà àrè hà adonài barè chadtà bearhà, vehammà beth Israel ijttinehon leoraithà. Hoc est, *Vsque quò te retines, vel moraris, quò minus redeas respublica, cuius multæ sunt auersiones? quia ecce creauit Deus nouum in terra, & populus domus Israel incumbet legi.* Quæ interpretatio quàm insulsa sit, omnibus patet. Cur enim fœmina ista pro Synagoga accipitur, quæ legem Dei seruatura sit? est ne

hoc nouum? Nunquid non à principio, quo legem acceperunt, ipsi incubuerunt, eamque aliquo tempore ad vnguem obseruarunt? quo pacto, aut qua ratione dici potest, fœminam hanc circundare virum, sit Hebræorum gentem, quæ fœminæ assimilatur, incumbere legi? nimis violenta allegoria est, nomine viri intelligi legem: quæ etiam si vera esset, non tamen nouum vocari aliquo modo posset, cum millies, immò semper lex Mosaica, de qua proculdubio loquitur, apud Hebræos in viridi obseruantia sic, qui per omne sabbatum in synagogis suis eam legunt, interpretantur, & docent.

Rabbi Salomon ita exponit. הנה חדשה
נבראה בארץ שנקבה תחזור אחר הזכר לבקשו
שישאנה לשק ואסובבה בעיר אבקשה וגו' ומשום
רבי יהודה הדרשן שמעתי נקבה תסובב לחיות גבר
אני נתתיך כבת הנוטלת עישור נכסים שבעה אומות
משבעים סוף שתטלי הכל כבן זכר שהוא יורש הכל
Ecce nouum creatum est in terra: quod fœmina ambulabit post virum, quærens eum vt se ducat in vxorem. quo sensu dicitur. Circuibo ciuitatem, quæram, &c. *Ex nomine verò Rabbi Iuda concionatoris audiui, fœmina conuertetur in virum, vel, vt sit vir. Ego te dedi, ait Deus, tamquàm filiam auferentem diuitias ac facultates à septem populis ex septuaginta: in fine autem futurum est*

vt

vt accipias omnia; veluti filius masculus, qui hæres est omnium.

Non ne diximus, eos sine mendacijs loqui nescire? non ne Isaias dixit, *Excæca cor populi huius?* Ecce omnia apparent. Quo pacto ais Rabbine, nouum esse, cum mulier virum quærit, vt se in vxorem accipiat? quotidie hoc fieri cernimus. Deinde verbum circundare, esse idem quod in vxorem duci, falsum est. Ipse tamen probat ex libro Cant. cap. 3. vbi sponsa ait, *Circuibo ciuitatem, quaram &c.* Hoc autem ipsa non dixit, vt vxor fieret, erat enim prius; sed sponsum olim acceptum quærebat, vt secum morari posset. Rabbi verò Iudæ expositio, quam se audisse ait Rabbi Salomon, risum profectò mouet, cùm fœminam circundare virum dicat, eam quærere virum fieri. hoc certe nouum esset, sed stultum est id opinari. Quod postea aduertens, correxit se; & ad allegoriam transiens, de Iudæorum gente debere intelligi docet; quæ prius vt fœmina pauca recepit, terras solummodò septem populorum, Chananæorum Amorræorum, & aliorum: at, cùm eorum, vt somniant, Messias aduenerit, omnium septuaginta, quæ in terra sunt, nationum bona se possessuros credunt; atque tunc ex fœmina Iudaicus populus fiet masculus, qui vniuersalis hæres con- Isai. 6.

stituitur. Mira profectò cæcitas, & penè incredibilis, qui sensum allegoricum audire nolunt, sed semper in cortice literæ morantur, nunc omnia allegoricè exponunt; vt non ea, quæ scriptura docet, intelligant, sed quod ipsi cupiunt, scripturæ testimonio confirmare videantur. Hæc sunt vanitatis iudaicæ signa, hæc eorum vota, & somnia; quia, tempore Messiæ se diuites futuros existimant, omnia, quæ in diuino eloquio reperiunt, ad hunc sensum trahunt. Tam absurda expositio confutatione non eget.

Consimili perfidia, & cæcitate, Rabbi Dauid Chimchi suam affert commentationem, כי ברא יי חדשה בארץ: עתיד לברוא atque חדשה אחר שתשבו בגלות ימים רבים: ומה היא החדשה כי נקבה תסובב גבר שדרך העולם שהאיש מחזר ומסובב אחר האשה ואז הנקבה תסובב אחר אישה כלומר שישובו בני ישראל אל יי אלהיהם ויגאלם וכן אמר בנבואת הושע ואחר ישובו בני ישראל ובקשו את יי אלהיהם וגו׳. Quoniam creauit Dominus nouum in terra, *futurum est, vt Deus creet rem nouam, postquam manseritis in exilio diebus multis. At quæ est hæc res noua? nimirum quod fœmina ambiet virum. Mos enim mundi est, vt vir circumeat, & ambiat quærendo mulierem: at tunc fœmina circundabit virum suum, quasi dicat, quòd conuertentur filij Israel ad Deum, &* ipse

ipse redimet vos. Et sic habetur in prophetia *Oseæ capite* 3. Et post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, &c.

Ex hac expositione hoc boni habemus, quòd preposita verba ad Messiæ tempus referri fatetur. Cæterùm absurda, & sordida est, atque ex omni parte execrabilis. Mulierem enim quærere virum, res noua non erit; neque mundi mos est, vt semper vir quærat vxorem, sed aliquandò mulier quærit fieri vxor, petitque aliquem in virum. Quòd autem ad allegoriam transiens, fœminam hanc circundare virum, exponit pro Synagoga ad Deum reuertente, ipsumque quærente, extorsio est, ac falsitas manifesta; neque res noua dicenda esset, cum multoties ad Deum reuersa fit: ac propterea si tempore aliquo vnquam iterum reuerteretur, nouum nullo pacto dicendum esset.

At maiores remanent adhuc abominationes videndæ, in expositione nimirum excæcati ac perfidi Rabbi Isaac Abrabanellæ, qui aliorum dicta non sequens, sed sua figmenta ipse primum vt idola adorans, alijs postea colenda proponit. quorum amore cæci Iudæi capti insanire videntur. Hæc sunt eius verba, seu potius somnia. ... על עד מתי ... והמאמר בגלותך כי חנה ברא ה' חדשה בארץ טעם

היות שאתה נמשלת לנקבה שימשול בה בעלה לפי
שבעליך אדנים קשים זולתי הנה עתה לא יהיה כן כי
אעפ"י שעד עתה תשש כחך כנקבה אתה תסובב לזכר
הגבר יותר המושל עליך ותגבר עליו גם שתסובב
האומות שהם כגבר מושל בך ובסבתך יבואו לחרבן
וכליון : *Vult dicere. Vsquequo moram facies & perseuerabis in exilio tuo? quia ecce creauit Deus nouum in terra: quod, cum tu assimileris foemina, cui vir suus dominatur; eò quòd dominentur tibi domini duri prater me, nunc non erit sic. quamuis enim debilis virtutis sis velut foemina; circundabis tamen masculum fortem valde, qui dominatur tibi, & praualebis super eum: quia circundabis populos, qui sunt velut vir dominans in te: atque tui causa destruentur, & in consumptionem ibunt.*

Superiores expositiones, licet insulsæ sint, hoc tamen veri continent, quòd in Messiæ tempore id, quod propheta indicat, faciendum asserunt; & nomine viri, quem fœmina circundabit, ipsum Deum intelligi docent: hæc autem vt à nequiore procedens, virum hunc non Deum interpretatur, sed populos gentium, à quibus Iudæi misera seruitute opprimuntur; quos ab ipsis Iudæis postea circundandos, idest, vincendos, spoliandos, occidendos esse sperant, vt eorum possint frui diuitijs. Verùm omissa huius stultæ expositi-

positionis discussione, an per virum hunc intelligi possint populi, quod certe absurdè dictum est; Si fœmina hæc intelligitur gens Iudæorum, quæ fœminæ assimilatur ratione debilitatis suæ, & quia ei dominantur populi duri domini: tamen postea, tempore videlicet suæ redemptionis quam expectant, ipsa circundabit populos, illos vincendo, occidendo, trucidando, vt aiunt; iam non erit amplius debilis, sed fortis, neque sub populorum potestate erit, sed ipsi sub eius dominio atque imperio regentur: & ex consequenti non erit amplius fœmina, neque hoc nomine appellanda, sed vir dicendus erit etiam fortis. Hoc autem non est, id quod ait propheta, qui fœminam, vt fœminam, hoc, facturam prædicit. neque nouum dicendum esset; cum fortis armatus, qualis tunc erit Hebraica respublica, vt ipsi dicunt, alium populum vinceret atque deleret. at fœminam tale quid facturam, nouum certè & mirabile erit. Est igitur expositio hæc falsa, sicut id, quod per ipsam intelligitur, falsum est; cum nunquam futurum esse quod expectant, oracula prophetarum apertè testata sint. Satis sit illud Amos capite 5. נפלה לא תוסיף קום בתולת ישראל Naphelà, lo tosiph cum bethulath Israel. *Cecidit, non adÿciet, vt resurgat virgo Israel.* gens ista cecidit à di- *Amos cap. 5.*

uina gratia, cecidit de excelso trono maiestatis, in quo sedebat, misera calamitate oppressa; non resurget vnquam, non vincet populos; sed in terram prostrata, victa ibi iacebit; ac perpetuæ seruituti addicta. Quod &
Mich. cap. 2. Michæas cap. 2. expressit in ijs verbis, *Ecce ego cogito super familiam istam malum, vnde non auferetis colla vostra*. De iugo captiuitatis loquitur, de quo nunquam eos colla ablaturos, Deus ipse testatur.

Sed omnes has Rabbinorum explanationes absurdas & falsas esse, ex ipso contextu clarè apparet. Nam antequàm propheta nouum hoc, quod Deus facturus erat, annunciaret, increpationem infidelis populi præmisit, in hæc verba. *Quò usque vagaberis filia rebellis?* quibus incredulitatem, & cordisq. duritiem illis exprobrauit, cum diuina mysteria credere nollent. Vsquequò te declinas, ait, te subtrahis, tergiuersaris? fidem habere nolens Dei verbis, qui nouum creauit, idest creabit, sed vtitur præterito loco futuri propter rei certitudinem. Si nouum hoc, quod facturus erat, nil aliud est, quàm fœminam, id est Synagogam, circundare virum, idest incumbere legi, vt ait Paraphrastes: siue eam possessuram populorum diuitias, sicut Rabbi Salomon, atque Rabbi Iudas dixerunt: vel Hebræos ad Deum pœniten-

uirentiam agentes reuerti, vt Rabbi Dauid Chimchi docet: vel etiam eos victoriam de inimicis reportaturos; illorum bona diripientes ac possidentes, vt somniauit iste Rabbi Abrabanel; nulla necessitas fuit, vt increpatio praeiret, ac si repugnarent, illisque fidem non haberent: cùm è conuerso non solum crederent, sed certissimè futurum affirment, vt haec omnia eo modo, quo credunt, euentura sint. Nihil igitur horum, quae ipsi somniarunt, dicendum est; cùm vel non sit nouum, vel non ab illis creditu difficile. Sed cùm per verba illa praecedentia voluerit propheta eos à peccatis, infidelitate, & cordis duritia reuocare, atque ad fidem praeparare, & instruere, manifestè sequitur, de re aliqualiter ardua, ab illis non credita eum esse locutum. Quod praecipuè notatur ex illa causali, *quia*, cùm dicitur, *quia creauit &c.* ac si dicat, Ideo rebelles ac increduli estis, quia nouum hoc, quod Deus creauit, est, mulierem circumdaturam esse virum, ideo contradicitis, repugnatis, impossibile factu reputantes: quando ergo duritiem vestram relinquetis, vt diuinis eloquijs acquiescentes, fidei mysteria recipiatis? Erit itaque verus, germanusque illorum verborum sensus, quòd de virginis Deiparae partu loquatur. Haec est res illa noua, quam Do-

minus in terra creauit. fœmina, id est virgo beatissima Maria circundedit virum, hoc est, carne sua veluti vestimento induit filium Dei, vt esset in vtero eius non rudis infans, sed vir ab initio conceptionis perfectus gratia & sapientia. Vel circundabit virum; concipiet in vtero, carne sua circundabit & vestiet filium Dei, vt fiat vir. Appellat eum virum; non quia vir tunc erat, sed quia vir futurus erat. Mos enim scripturæ est, sæpe rem aliquam denominare, non secundùm id quod est, sed secundùm id quod futura est. Isaiæ capite 44. dicitur, *Succendit, & coxit panes.* panis non est, antequàm coquatur; sed quia per coctionem futurus est panis, tali nomine appellatur, priusquàm sit. & capite 47. *Tolle molam, & mole farinam.* Molendinarius non molit farinam, sed granum: quod, quia farina euadere debet, farina vocatur.

Habemus itaque ex Ieremia mysterium hoc virginei partus, Messiæ nostri redemptoris ex virgine natiuitatem; ad quam credendam, atque vt decet, venerandam, ab huius sæculi voluptatibus homines se subtrahere opus est, quæ animum in diuersa distrahunt, nec ea quæ Dei sunt, percipere permittunt. quemadmodum miseris euenit Iudæis, qui cùm carnales sint, atque

que carnalia sapiant, ea quæ spiritus sunt nec amant, nec credunt: quia capere non valent, quomodo virgo pariat, virgo remanens, Dei omnipotentiam suis viribus metientes. Nouum hoc attendite Iudæi, & credite: non enim impossibile est, vt putatis; Quia Deus omnipotens est, qui fecit illud. Nouum ex parte Dei; nouum ex parte mulieris. Deus immensus, quem cœli capere non possunt, in mulieris gremio recluditur. & ecce nouum. Fœmina Deum concipit, Deum parit, virum, gigantem, qui cœlum terramque sustinet: nec Deus aliquid patitur, neque fœmina à diuinæ maiestatis radijs consumitur, neque virginitas deperditur. O nouum, atque mirabile: ò semper, & in æternum laudabilis Deus, qui creauit illud. A Domino factum est istud, quod verè solum Deum decuit, vt ait sanctus Augustinus, & non hominem. & est mirabile in oculis nostris. Mirabile vtique est; quoniam humanam Deus carnem assumpsit, & ex vtero virgineo natus est, salua matris virginitate. Qui natus est prius sine matre in cœlis, natus est sine patre in terris. Natus est Christus Deus de patre, homo de matre: de patris immortalitate, de matris virginitate: de patre sine matre, de matre sine patre: de patre sine tempore,

re, de matre sine semine: de patre principium vitæ, de matre finis mortis: de patre ordinans omnem diem, de matre consecrans istum diem: diem, inquam natiuitatis suæ, in quo puer natus est nobis, & filius datus est nobis.

* * *

F. PE-

F. PETRI PICHI DE TREVIO OR. PRAED.

DE PARTV VIRGINIS DEIPARAE.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Rationibus humanis probatur virginis partus.

PROPHETARVM oraculis, quæ Dei sunt verba, humanę rationes succedunt; non quia fortiores sint, sed ad infideles homines conuincendos, qui diuinas voces parui facere videntur, aptiores. Si enim fidelibus populis loqueremur, necessarium omnino non esset diuino testimonio humanas

nas addere argumentationes: sufficit enim illis scire, Deum hoc & illud dixisse, & statim acquiescunt, non plus vltra requirentes, an fieri possit nec ne. Iudæi autem non sic; sed signa petunt, & nodum in scirpo quærentes, nihil intentatum relinquunt, vnde suæ perfidiæ retinendæ argumenta capere possint: ac mysterium hoc non modò factum negant, sed & factu impossibile affirmant. Igitur tertio loco ex verbis hominum, ex nostris nimirum rationibus, ac ex ipsorum Rabbinorum doctrinis, nedùm impossibile non esse, virginem parere; verùm de facto Messiæ matrem virginem parituram fuisse, ac peperisse Messiam ipsum Iesum dominum nostrum, patebit. Atqui Deum potuisse virgini virtutem pariendi tribuere, ac hominem ex muliere viro ignota nasci facere, sic ostenditur: Deus creauit primum hominem de limo terræ, & primam mulierem de costa ipsius formauit: hoc autem maius est, quàm hominem ex virgine producere; ergo cum possit maius, poterit & minus efficere. Quòd verò maius sit producere hominem ex terra, quàm ex virgine, probatur. quantò enim magis ab effectu distat causa, tantò maior virtus ex parte agentis requiritur, vt effectus producatur. quò viridius est lignum ac minus ad comburendum idoneum: eò maior in igne vis adesse

debet,

debet, vt combustio fiat. sicut etiam quantò maior est ignis: tantò abundantior necesse est, vt sit aqua, quæ illum extinguat. Cùmque in Adami productione, & Euæ formatione multò remotiores causæ sint ab effectibus suis, quàm in generatione viri ex virgine, illud proculdubio maius opus erit, quàm istud, cùm maiorem in Deo agente postulet virtutem atque potentiam. Ibi enim omnia disponere atque præparare opus fuit, terram videlicet aptare; deinde ex terra, ex carne corpus illud formare, cum ea membrorum distinctione, diuersitate, proportione, ac venustate membrorum omnium sibi ad inuicem correspondentium; denique animam rationalem infundere. quod & de Euæ formatione dicendum est, factum fuisse. In partu autem virginis nihil horum necesse fuit: omnia namque necessariò requisita aderant. primùm erat mulier, quæ communiter instrumentum generationis est, atque ex consequenti naturale vas, in quo fit conceptio; & consequenter est ibi materia, ex qua formatur corpus. Solummodò desideratur hominis operatio, seu virtus genitalis seminis, cuius vice virtutem diuinam ponimus, quæ hunc defectum supplens operatur id, quod semen hominis operari solet. Atque ideo maiorem difficultatem in primi hominis productione fuisse, quàm in virginis par-

tu,

tu, negandum non est: cùm in illa maior Dei virtus ac potentia necessaria fuerit, quàm in pariente virgine, in qua tantùm vnum à Deo producitur; in illa autem multa & diuersa facere opus fuit. Cùm ergo Iudæus credat primum absque vlla hæsitatione, secundum aut neget, insipientem se ostendit, & cæcum, concedens quod maius est, Deum fecisse, non autem quod est facilius.

Quòd autem Deus suppleat humani seminis defectum in hac admirabili Messiæ generatione, mirum nemini esse debet, cùm exempla quàm plura eaque clarissima in sacra scriptura habeamus, Deum ita multoties fecisse, testantia. Inter præcipua quæ de Deo prædicantur mirabilia, est virtus, quam sterilibus mulieribus tribuit pariendi. ita cecinit David in psal. 112. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Sicut scriptum est de Sara, Rachele, Anna Samuelis matre, atque de matre Sansonis: quæ licet natura steriles essent, & ad pariendum inhabiles; speciali tamen Dei gratia pepererunt, matresque filiorum lætantes in domibus suis habitauerunt. At, si de sterilitate secundùm naturalia principia loquamur, non aliunde eam effici inueniemus, nisi à superflua seminis frigiditate: qua fit, vt opus à natura intentum fieri nequeat; quia non potest materia actiua cum passiua

agitari & commisceri, simulque ad corporis formationem, quæ naturæ est finis, concurrere. quandoque autem defectus est ex parte mulieris qua frigida est; quandoque etiam ex parte viri, qui similiter frigiditate laborat. quantò autem maior est defectus, tantò mirabilius opus est, cùm mulier concipit & parturit. Itàque in muliere sterili sunt omnia ad generationem requisita, sexus, vas, opportunum tempus, quod præsupponitur, semen actiuum atque passiuum, deniquè omnia. solum deest virtus illa, seu potentia, quam vtrumque semen habet virtualiter, seu naturaliter, non tamen actualiter in hoc indiuiduo reperitur. qui certè defectus notabilis est, cùm sine illa fieri non possit generatio. Atque hunc defectum supplet Deus, dùm sterilis parit. Hoc est mirabile opus, quod de Deo canitur; qui cùm omnipotens sit, nec causis secundis alligatus, facit aliquandò per se solum quod per illas facere solet. Semine mediante parere facit communiter fœminas: quandoque tamen semine ad concipiendum inualido, vt in sterilibus. Aliud exemplum afferri potest ad ostendendum, Deum supplere defectum alicuius causæ naturalis. Dicere solemus, hominem generare hominem: quæ propositio si rigidè examinanda est, falsa profectò inuenietur; cùm enim homo animal rationale

sit; atque ad brutorum differentiam, anima præditus immortali, ad imaginem Dei creata, beatitudinisque capaci: hæc ab homine non gignitur; esset namque intolerabilis error hoc asserere, cùm eius oppositum apertissimè à catholica fide, diuinaque scriptura doceatur: quod & philosophi solo naturali lumine cognouerunt, dicentes, eam non educi de potentia materiæ, immò esse quid diuinum. De Deo insuper habemus, quòd *Format spiritum hominis in eo*, ideſt animam; atque ipse *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, & *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam*: & *Spiritus redibit ad eum qui dedit illum*; aliaque quàmplura inueniuntur de hac veritate testimonia. Non igitur anima rationalis creatur ab homine; sed statim post corporis formationem Deus, animam creando, illi infundit. Et tamen dicitur homo generare hominem, qui sine dubio intelligitur animam rationalem habens. Et, si in semine hominis vis animam producendi non est, quomodo fiet, vt dici possit homo hominem generare? Dei virtus ac potentia defectum hominis supplet: quod homo facere non potest, Deus ipse facit; id, ad quod causa secunda non pertingit, Deus operatur. Ita est de virginei partus mysterio dicendum. Deus ipse suppleuit defectum viri in virgine, quæ Dei virtute obumbrata

Zach. 12.
Gen. 2
Psal. 145.
Eccl. 12.

filium absque virili semine concepit & peperit. Hæc sunt quæ Iudæis credenda proponuntur; quibus si difficilia arduaque videntur, eorum quæ diximus, meminerint, nempe Deum parere fecisse steriles, in quibus etiam vt in virgine reperitur pariendi difficultas. Quamuis enim imparis videantur difficultatis sterilis, ac virginis conceptus, cùm in sterili sit principium actiuum, semen nimirum, quod non est in virgine; tamen rectè inspicienti eadem omninò erit difficultas. Est quidem in sterili semen, sed inhabile ad generationem, infructuosũ & vanum, quod ad nihilum valet. Quid prodest lux illa, quæ non splendet? ignis non calefaciens? aqua sitim non extinguens? calamus, quo scribi non potest? clauis non aperiens? oculus non videns? auris non audiens? res denique proprio vsu atque officio orbata? Seminis officium est gignere, producere: si hoc non agit, idem est si adest, ac si non adsit; si ergo in virgine non datur semen, quod sterili datur, cùm hoc nullam habeat vim, idem est de vtraque iudicium, solummodò materialiter in sterili datur semen, ac propterea rectè dici potest, ibi non esse; sicut in meridie stellæ in cœlo non esse dicuntur, quia non splendent; quamuis re vera semper adsint. Peperit sterilis, quia Deus defectum eius suppleuit; cur non parere potest

virgo eodem Deo auxiliante, eiusque defectum supplente? Deus qui generandi virtutem semini dedit, non ne sine semine idem præstare poterit? Ergo à simili probatur diuinum hoc partus virginei mysterium. Similis est partus sterilis mulieris partui virginis; vidimus illum, fateamur & istum: idem enim Dominus fecit vtrumque. Et licet etiam imparis essent difficultatis sterilis ac virginis conceptus; tamen apud omnipotentem Deum vterque facillimus.

CAPVT II.

Ex ijs quæ in natura videntur, cùm aliqua animalia sine coitu nascantur, ostenditur Iudæis, etiam Messiam potuisse de virgine nasci.

NOn quia in diuina scriptura mysterium hoc non sit, non credit Iudæus: apertè namque, vt in superioribus demonstrauimus, pluribus in locis illud à sancto Spiritu reuelatum est: sed ideo adduci non potest vt credat, quia ipsum impossibile fore censet. Quod falsum esse, patet ex multis animantibus sine carnali copula nascentibus, vt de phœnice aiunt, de apibus, alijsque; sed præcipuè hoc apparet in vermibus, qui sine patris semine oriuntur & viuunt. Si ergo sola na-

la naturali potentia id fit, & virtute solis producuntur vermes; cur non supernaturali Dei potentia, diuinique solis splendore produci, ac gigni potest homo ex virgine? est ne minoris potentiæ Deus, quàm natura, cui ipse vim atque virtutem omnem tribuit? Itaq; Iudæo hoc neganti dicere potest Christus ואנכי תולעת ולא איש veanochi tolàhath, velò his. *Et ego sum vermis & non homo.* Psal. 21. non tantùm ob ea, quæ in morte tormenta passurus erat, cùm velut vilis vermiculus conculcandus esset; sed etiam propter ea quæ in eius conceptione prius erant cernenda, modus videlicet, quo concipiendus erat, sine carnali copula, absque humani seminis ministerio, sed solo Spiritus sancti superuentu, virtutisque altissimi obumbratione, vt eius matri dixit Angelus, cùm eam Dei filium concepturam ac parituram annunciauit.

CAPVT III.

Huius virginei partus conuenientia adducuntur.

CVm superiùs ex virgine Messiam nasciturum, necesse fuisse ostenderimus; nunc & conueniens, ac congruum fuisse demonstrandum est. Qui venturus erat ad omnes

homines saluando s, omnibus præstantior, sanctiorque esse debebat: immò Rabbini docent, Messiam Prophetis, Patriarchis, atque Angelis futurum esse maiorem. Hoc est, omnes diuinæ gratiæ, omnesque perfectiones longè maiori cumulo, quàm in cæteris, in eo elucere debebant. Quod expressit Dauid, cùm ei loquens, ait; משחך אלהים אלהיך שמן ששון מחבריך. Mesachachà Elohim elohècha sèmen sasòn mechaberècha. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ socijs tuis.*
Psal. 44. Plusquàm omnes sancti, oleo lætitiæ vnctus est Christus, priuilegijs videlicet plus omnibus ornatus; ac omnia, quæ in alijs variè sparsa sunt gratiarum dona, in eo vno tamquàm in sublimiori loco reposita sunt. Cùm ergo inter mirabilia, quæ Deus erga sanctos operatus est, mirabilis eorum natiuitas recenseatur; quia ex sterili matre nati sunt, alijque in matris vtero sanctificati, priusque sancti quàm nati fuerunt; quo factum est, vt precipuus erga illos Dei amor ostenderetur, ac mundo celebres redderentur, cùm nonnisi præstantissimi viri fuerint ij, qui insolito illo nascendi modo in hanc lucem miraculosè prodierint: veluti sunt Isaac, Iacob, Ioseph, Samson, atque Samuel; qui peculiari Dei gratia in eorum generationem concurrentis, atque ex vi promissionis, vt ait Apostolus, orti sunt: Quarè ergo gratia hæc Mes-
Rom. 9

siæ

fiæ hominum redemptori, omniumque san-ctissimo deneganda est? vt, cùm serui mirabiliter geniti, mirabiliterque nati sint, ac eorum aliqui antequàm nascerentur, sancti effecti, non mirabili itidẽ modo dominus ortus sit, atq. insoléti nascẽdi ritu eius decorata sit natiuitas? Ex sterili progeniti sunt illi mirabiliter: ex virgine ergo nasciturus erat hic mirabiliùs. Et ob id vocandum erat nomen eius, *admirabilis*, vt Isaias ait. Admirabilis vocandus non est qui in vno tantùm cæteros antecellit: sed qui in omnibus vincit alios omnes. Aethiops nõ potest albus vocari, licet habeat dentes albos: ita, quia sancti Dei homines in aliquo vno peculiari dono floruerunt, non ideo dicuntur admirabiles, at Christus, cùm vocetur re vera admirabilis, in omnibus donis & priuilegiis, in conceptione etiam, ac in natiuitate admirabilis fuit. Decebat præterea, eum ex virgine nasci, propter Dei, cuius est filius, dignitatem conseruandam. Non enim conueniens erat, vt patris dignitas ad alium extra Deum transferretur, vel alium, quàm Deum, patrem haberet. Demùm, hoc ipsius Christi proprietati congruebat; cùm enim ipse verbum Dei sit, vt ex scripturis habetur, atque ex Rabbinorum doctrina colligitur; verbum autem absque cordis corruptione concipiatur: conueniebat, vt caro ab hoc Dei verbo Cap. 9.

assumenda, absque matris corruptione conciperetur: vt sicut purum est Dei verbum, purus Dei filius, pura esset & eius caro.

CAPVT IV.

Ex Rabbinorum dictis, Messiam ex virgine nasciturum, habetur.

SI diuinæ scripturæ testimonijs, humanisque rationibus credere Iudæi nolunt, vtinam ijs, quæ ex quibusdam ipsorum magistris habentur, credere non renuant. Primum, Rabbi Mosis haddarsan, deinde aliorum verba afferemus, in quibus clarum huius mysterij redditur testimonium. Cùm caput trigesimum septimum Geneseos exponeret, Rabbi cuiusdam Barachiæ nomine verba interposuit, quæ sunt אמר רבי ברכיה אמר הקב״ה לישראל אתם אמרתם לפני יתומים היינו ואין אב : הגואל אשר אקים מכם אין אב לו ש״נ הנה איש צמח שמו ומתחתיו יצמח : וכן הוא אומר ויעל כיונק לפניו וכשרש מארץ ציה. ועליו דוד אומר מרחם משחר לך טל ילדותך ועליו הכתוב אומר אני היום ילדתיך *Ait Rabbi Barachias. Dixit Deus sanctus ac benedictus Hebreis; Vos dixistis coram me, Pupilli facti sumus absque patre. Redemptor, quem è vobis surgere faciam, erit*
Zach. 6 *sine patre; sicut scriptum est*, Ecce vir, germen est nomen eius, & de sub se germinabit.

Et

Et sic de eo dicitur, Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de arida terra. *De ipso quoque scribitur*, De matrice auroræ tibi ros natiuitatis tuæ. *& de eodem scriptum est*, Ego hodie genui te. Ex quibus verbis nescio quid clarius desiderari possit pro hac catholica doctrina illustranda, Iudæisque confundendis. Sine patre Christus nasciturus erat, sine virili nempe semine: eius igitur mater virgo futura erat. Deinde ex testimonio Zachariæ comprobatur, qui ait, eum vocari germen, ac de se germinare, idest nullius viri ope nasci. Postea, cùm per Isaiam ex terra sicca dicatur ascensurus, ex matre nullo humano semine irrigata intelligitur oriturus. Demùm, de eo dici verba Dauidis in psal. 110. quæ superiùs exposuimus, apertum habemus huius Rabbini testimonium: quibus vteri virginalis Deiparæ optimè demonstratur. Atque de eo habetur clara diuinitas: cùm de ipso dicta esse verba illa, *Ego hodie genui te*, fidem faciat Rabbinus; quæ in sequenti capite à Rabbinis veteribus confirmata esse, videbimus.

* * *

CA-

Isa. 53.
Psal. 110.
Psal. 2.

CAPVT V.

En veterum Rabbinorum *Commentarijs idem ostenditur.*

IN libro, qui M*idras tillim*, id est expositio psalmorum prænotatur; cum veteres Rabbini tractent verba illa psalmi 2. *Ego bodie genui te*, ita loquuntur, וכר תיתי שעתיה אומר הקב״ה עלי לבראתו בריה חרשה וכן הוא אומר אני היום ילרתיך . *Et cum venerit hora eius*, (Messiæ videlicet, de quo in præcedenti versu locuti erant) *Deus sanctus & benedictus dicet, Super me, sue, meum est creare ipsum creaturam nouam. & ita ipse ait*, *Ego bodie genui te*. Ex quibus verbis habetur in primis, ad Deum pertinuisse Messiam creare. At non ne creaturæ omnes ad eum pertinent? an est aliquis præter Deum, qui creaturas producere valeat? Ad Deum certè dicitur pertinere Messiæ creatio, seu generatio, vt excludat hominem, semenque virile, sine quo Messiæ generatio facta est, supplente Domino defectum seminis. Sed magis hoc ostenditur per id, quod aiunt, Deum creaturum Messiam nouam creaturam, siue noua creatione: quod intelligi nequit, nisi ex virgine nasciturus dicatur. Si enim vt cæteri homines ex viri, ac fœminæ copula oriturus

turus

turus fuisset, nulla esset ratio, ob quam noua creatura vocaretur. Cui cùm illud *Ego hodie genui te*, à Rabbinis istis applicetur, consequens est, vt non modò de æterna filij Dei generatione diuina illa verba intelligantur, sed de humana etiam eius natiuitate interpretari possint; in qua nullus se intromisit homo, sed Deus solus, qui omnipotenti virtute sua illum ex muliere sine viro, ex purissima virgine nasci fecit; ac propterea ipse ait, Ego, non homo aliquis, ego Deus hodie, in tempore, hominem ex matre sine patre genui te. Magnum re vera miraculum, & admirabile sacramentum.

CAPVT VI.

Idem probatur ex libro Rabboth.

IN exponendis verbis his ותקרא את שמו שת vatticrà eth semò seth. *Et vocauit nomen eius Seth.* Genesis cap.4. quæ dicta sunt de Heua, cùm filium suum Seth peperit: quem ideo hoc nomine appellauit, quia שת *Seth* venit à verbo שת *Sath*, quod est ponere, & propter hoc dixit כי שת לי אלהים זרע אחר chi, sath li elohim zèrah achèr. *quia posuit mihi Dominus semen aliud*; sic in libro *Rabboth* aiunt veteres Rabbini ר׳ תנחומה בשם רבי שמואל אמר נתכלה אותו זרע שהוא בא ממקום אחר

אחר ואי זה זה מלך המשיח Rabbi Tanchuma in nomine Rabbi Samuelis dixit: *Intelligitur de illo semine*. idest respexit Heua ad illud semen, *quod venit de alio loco. quod nam est illud? iste est rex Messias*. Hoc est, semen regis Messiæ de alio loco venit. In eodem libro, super Genesis capite decimonono in verbis filiarum Lot, quæ dixerunt ונחיה מאבינו זרע Vnchaijè meauinu zèrah. *& viuificabimus de patre nostro semen*. aiunt ונחיה מאבינו בן אין כתיב כאן אלא ונחיה מאבינו זרע אותו זרע שהוא בא ממקום אחר ואי זה זה מלך המשיח. *Et viuificabimus de patre nostro filium, non est ita scriptum, sed viuificabimus de patre nostro semen; illud nempe semen, quod ab alio loco venit. regis scilicet Messiæ*. Idem habetur in libro, cui *Midras* Ruth nomen est. Ex quibus locis duo colligimus; alterum est id, quod superius dictum est, Messiam in sacra scriptura primum esse intentum, omnesque actiones, quæ in ea narrantur, in ipsum tamquam in vltimum finem dirigi, ac de eo non solum verbis, sed & factis semper haberi sermonem. Ecce enim in actibus ijs, quos veteres gesserunt, Messias respectus est; & cum quidlibet agerent, Messiæ rationem habebant. Alterum est, quod eo loquendi modo, quo Rabbini isti vtuntur, aperte

apertè ostenditur, non communi aliorum hominum more ex viri semine nasciturum fuisse Messiam, sed ex semine ab alio loco accepto. quæ verba intelligi nequeunt, nisi eum ex virgine oriturum fateamur. Crediderim enim eos imitari voluisse antiquos philosophos, qui cùm de anima loquerentur humana, eamque non de potentia materiæ educi, neque ab homine gigni, sed à Deo immediatè creari, vellent docere, eam deforis venire dixerunt; ita & isti de Messiæ natiuitate, quam ab aliorum hominum ortu valdè differre sentiebant, eum Dei virtute absque humani seminis opera nasciturum ex virgine innuere volentes, illam deforis venire, ab alio loco proficisci affirmant. Et tamen misera Iudæorum plebs cæcutiens mysterium hoc credere renuit; cùm talibus tantisque quæ adduximus ex scriptura testimonijs, Rabbinorumque doctrinis clarissima fiat huius virginei partus veritas. Hæc sunt, quæ mihi ad Iudæos super hòc mysterio conuincendos apta videntur.

Sed alia adhùc ex dictis Rabbinorum atque eorum scripturis colligunt quidam ex nostris, qui contra Iudæos scripserunt; quæ si vera essent, fortissima ex illis formarentur contra eos argumenta. Adrianus Finus Ferrariensis in opere suo, quod

quod Flagellum in Iudæos inscripsit, libro 2. cap. 17. hæc habet, quæ ex libro *Midras tillim*, hoc est, ex expositione, quam veteres Rabbini faciunt super psalmos, accepit. quo in loco cùm exponant verba psalmi 4. *In tribulatione dilatasti mihi*, aiunt, Dauidem dolore detentum fuisse propter adulterij peccatum, quod cùm Bethsabee pepetrauerat, ac etiam propter populi hac de causa murmurationem & scandalum; in qua tribulatione posito Deus dilatauit, peccatum dimisit, consolatusque eum, hanc illi fecit repromissionem. *Filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus, faciam eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam pacificus vocabitur*. vt habetur 1. Paralip. cap. 22. Et additur (ait Finus) in Talmud: Atque vt cæteri filij, non à patribus nascetur. Vnde concludit, promissionem istam Dauidi factam, non posse de Salomone eius filio, qui pacificus dictus est, intelligi; cùm de illo verificari non posset illud, Atque vt cæteri filij, non à patribus nascetur, natus est enim Salomon vt cæteri filij; sed de Messia dictum putat, quem non vt cæteri à patre nasciturum fuisse, Rabbinos eo loci docuisse censet. Si hoc Rabbini dixissent, nihil fortius desiderandum esset pro mysterio hoc comprobando, Iudæisque con-

conuincendis. Sed falsa sunt omnia. loquitur enim ibi Dauid Salomoni filio suo, quem sibi nasciturum Deus ante promiserat, dicens, Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus. Deinde falsum est, Rabbinos hoc exponentes dixisse, Atque vt cæteri filij, non à patribus nascetur; sed expendentes illud, quod Deus dixit, *Filius, qui nascetur tibi, &c.* vel vt hebraicè habetur הנה בן נולד לך: הוא יהיה איש מנוחה וגו' Hinnè ben nolád lach, hu ijhiè is menuchá. *Ecce filius natus tibi, ipse erit vir quietis*; habent hæc verba וכי כל הבנים אינן נולדין ומהו נולד לך. לך לרפואתך מן הטיאדי לך. *Et nunquid non omnes filij nati sunt?* idest, nunquid non alij sunt filij ipsius Dauid? cur potius de Salomone dicitur, natus est tibi? *tibi*, aiunt, *natus est, ad medicinam tuam, vt à peccato, quod in te est, te curaret.* quia nimirum, cùm natus esset Salomon, signum fuit (inquiunt) Dauidi fuisse à Deo condonatum peccatum, propter quod per infantis ex Bethsabee nati mortem punitus fuerat; per natiuitatem verò Salomonis in integrum restitutus erat. Hoc est, quod Rabbini sibi volunt; non autem id quod ex eis sibi visus est haurire Finus Ferrariensis, qui scripturas cum interrogatione factas, accipit ac si pro re certa proferrentur. Quod passim & ab alijs fieri videmus, vt ex diuinis scripturis solum superficialiter intellectis

argu-

argumenta contra aduersarios conficiant; quibus non modò non conuincuntur, sed cachinnantes perfidiores fiunt, doctoribus doctrinaque irridentes, in sua infidelitate sine aliqua conuersionis spe perseuerant. In quem errorem sæpe sæpius labuntur multi ex ijs, qui declamationes ad populum habere profitentur; in quibus scripturas sacras non sanè intellectas, sed ad proprium ipsorum sensum illas trahentes, indoctam concionem alliciunt, quæ quod non intelligit, plus miratur. Hi profectò non Dei verbum, sed sua somnia prædicant. at Dei judicium valde timendum, qui verbum suum adulterari non patietur. Nec enim dicere valent id quod sancti Dei prophetæ ad populum verba facientes, siue eos consolando, siue minando, seu de diuina voluntate eos instruendo aiebant, *Hæc dicit Dominus*, verba solùm Dei proferentes, cùm isti non ea quæ Dominus dicit, verum scilicet sacrarum scripturarum sensum proponant, sed adinuentiones suas; quas (& hoc pessimum est) diuinæ scripturæ verbis confirmare audent: quæ nec illis fauent, sed oppositum fortè sæpè sonabunt. Intolerabile profectò est, vt ij mendacium doceant, qui sibi peculiare munus assumpserunt veritatis prædicandæ, populique diuina edocendi. At, inquiunt, si scripturę, vt iacent, in sua puritate,
populo

populo proponuntur, eis non arrident, ac penè eas despiciunt: quæ enim sine aliqua ingenij ostentatione dicuntur, vilia videntur nec populum ad audiendum mouent, qui verborum elegantia, concinnitate & dicacitate quadam delectatur. Sed non sunt corrumpendæ scripturæ vt ostendatur ingenium; neque contorquendæ sunt, vt pulcra aliqua inuentio audiatur. Si scriptura tuo sensui, ac conceptui accommodari nequit, ipsi te accommodare stude; neque scripturarum malè intellectarum citatione populo placere cures. Hos omnes redarguit Ieremias cap. 5. dum ait, *Prophetæ prophetabant mendacium, & sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouissimo eius?* quæ verba licet contra Hebræorum pseudoprophetas dicta sint, tamen verificari videntur in nostræ ætatis concionatoribus. qui Prophetarum locum obtinentes, quorum munus est Dei verba verè & sincerè intepretari, ad somnia se conuertentes, ea proferunt ac docent. Et sacerdotes plaudunt manibus; maiores in populo, qui iudices recti esse debent, plausu manuum suarum, laudantes ea quæ ab illis audiunt, eorum elegantia verba celebrant, sententias perpulcras ab eis conglomeratas summis efferunt laudibus; eorum flosculos ad cœlum tollunt. & tamen

cum his omnibus bonorum operum fructus in populo non apparet, quia, vt ait propheta, *Populus meus dilexit talia*. quia nimirum *sicut populus, sic sacerdos*, ait Oseas: & sicut sacerdos, sic populus. Talia diligit populus, quia sacerdotes, ij nimirum, qui sibi scientiam vsurpant, talia audientes, manibus plaudunt: sic & populus rudis, qui non intelligit quæ dicuntur, alios plaudentes videns, plaudit & ipse. In quibus completur B. Pauli dictum, quòd sanam doctrinam scripturæ sacræ nõ sustinent, sed ad sua desideria magistros auribus prurientes sibi coacernant, qui ad fabulas conuertuntur. Verùm quod propheta sequitur, attendant. *quid igitur*, ait, *fiet in nouissimo eorum?* Ipsi viderint quid eis fiet: nihil, haud dubiè, nisi magnum confusio & pœna. Hæc ruinæ Ierusalem causa fuit: quod Ieremias deplorauit dicens, *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad poenitentiam prouocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas & eiectiones.* De pseudoprophetis loquebatur; propterea ait, tui, non autem, mei, quos videlicet Deus non miserat, sed semetipsos in prædicationis officium intruserant. Quod in quibusdam nostrorum temporum concionatoribus contingit: qui falsa & stulta vident, falsos nimirum conceptus, falsasque diuinarum

Cap. 4

Tren. 2

rum scripturarum expositiones proponentes. Hebraicè habetur שוא idest, vanitatem; quam certè prædicant, non intelligentes de quibus affirmant, neque de quibus negant: & tamen scripturas sacras interpretari non erubescunt, cumque sensum in illis requirunt, non qui verus ac proprius est, sed qui magis pro eis facit ad sua inventa confirmanda, populique gratiam captandam. Et *stulta* hebraicè תפל taphel *insulsa*: quod enim non est scripturarum sale conditum, insulsum est: & omne quod humana inventione procedit, nisi in scriptura sacra firmum habeat fundamentum, firmum inquam, & verum, non autem apparens & contortum, vanum & insulsum est iudicandum. *Nec aperiebant*, ait, *iniquitatem tuam, ut te ad poenitentiam provocarent*. Qui populorum plausum ambiunt, eorum vitia non detegunt, sed eis placentia loquentes, illorum pravæ vitæ mutationem non curant, nec poenitentiam suadent, ne eos in suis sermonibus audiendis deficiant. Viderunt autem tibi assumptiones falsas. hoc inculcat propheta. Hoc gravissimum malorum est, ac totius ruinæ fons. non solum contra vitia non invehere ut diximus, sed & assumptiones falsas videre, prophetias videlicet, quarum difficillimum est investigare sensum, pro nihilo reputare, & illicò os ape-

rire ad eas declarandas, & ideo falsitas atq; insulsitas in ore ipsorum semper habetur. Ille bonus certè mihi erit concionator, qui in lege Domini, in sancta nimirum scriptura meditabitur die ac nocte: qui in timore & tremore verba Dei tractabit, ipsum rogans, vt oculos suos reuelet, ac de lege Domini mirabilia considerare valeat; qui eius testimonia rectè intellecta secundùm verum germanumque sensum proferet, ac in populi profectum toto pectore incumbet, vana hominum inuenta relinquendo, Deo magis placere curans, quàm hominibus. Talisque erit, qualis à B Hieronymo in epistola ad Nepotianum describitur. Sermo tuus, inquit, scripturarum lectione conditus sit. nolo te declamatorem esse & rabulam, garrulumque sine ratione: sed mysteriorum peritum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum. Multi haud dubiè in Dei ecclesia sunt, qui doctrina ac probitate pollent, quorum sermones quasi prophetarum oracula dici possunt: at contra aliqui reperiuntur, qui scripturas sacras ita contorquent, vt auditores, qui sapiunt, & contorqueantur & stomachati abeant. Iudicium verum iu-

Cap.7. dicate ait Zacharias. vera scripturarum testimonia proferte, si proficere vultis in populis; est enim sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, eiusque verbum est veluti malleus

Ieus conterens lapides; vt inquit Ieremias, dummodò rectè, ac legitimè quis eo vtatur.

Multa alia in huius mysterij corroborationem afferuntur ab Auctoribus quibusdam, qui aduersùs Hebręos libros ediderunt, quæ apud Rabbinos reperiri testantur: attamen in codice Rabbinorum quo vtor, qui & antiquissimus est, non inueniuntur ea, quę ab istis citantur. Sufficit mihi hæc pauca quæ scripsi, in huius virginei partus dilucidationem attulisse; potius parum, dummodò purum sit, firmum ac certum, ventilatumque ac discussum frumentum in horreum Domini inferre elegi, quàm multum gluma ac quisquilijs plenum, non certum nec stabile habens fundamentum. Atquæ hæc omnia ad Dei laudem & gloriam, fidei Christianę augmentum, infideliumque conuersionem dicta sint.

FINIS.

IN

INDEX CAPITVM, quæ in hoc opere continentur.

IN PRIMO LIBRO.

IN

Errata sic corrige

Pag.	lin.		Pag.	lin.	
2.	3.	præcipiantur percipiantur	70.	vlt.	intuendam intuendum
	25.	nam enim	99.	23.	cæcitati cæcitate
32.	2.	deuorat m deuorantem	145.	17.	diximum diximus.
40.	1.	pluuæ pluuiæ	152.	8.	æqui equi
53.	12.	mirimum nimirum.	157.	2.	mētes mōtes